



Pathol. spec.

974.





~~2828~~
Medicin. 2898.

541
medic:

Morb. puer. 507.

ALSO

PER

PER

PER

PER

PER

PER

PER

JOHANNIS GOTTLIEB BÖTTICHER,
U. Medicinæ Doctoris Hafniensis,
Morborum Malignorum,

Imprimis

PESTITIS

Et

PESTILENTIÆ,



Brevis & genuina

Explicatio,

Sanis Principiis & Propriis observatio-
tionibus superstructa,

Cui

PESTITIS,

Per sex Menses Anno 1711.

Hafniæ

ſævientis, breviffima & vera

Historica Descriptio

Hinc & inde est adjuncta.

HAMBURGI,

Impensis Viduæ Benjam. Schilleri Anno 1713.

Typis Caspari Jakhelii.

JOHANNES GOTTLIEB DÖTTCHER
MORATORIUM

PRESTIS

PRESTIS
BREVES DE GRAMMATA



PRESTIS
BREVES DE GRAMMATA

PRESTIS
BREVES DE GRAMMATA

PRESTIS
BREVES DE GRAMMATA

PRESTIS
BREVES DE GRAMMATA

Augustissimo Monarchæ Arctoo,

FRIDERICO

QUARTO,

REGI HÆREDITARIO

Daniæ, Norvegiæ, Vandalo-
rum, Gothorumque,

DUCCI

Slesvici, Holfatiæ, Stormariæ, & Dith-
marfiæ,

COMITI

In Oldenburg & Delmenhorst,
&c. &c.

Pio, Justo, Magnanimo, Felici
Patriæ Patri,

Domino meo Clementissimo,

Augustissimæ Felicitatis incrementum!

Serenissime ac Potentissime

R E X,

Domine Clementissime!

JNter tot belli horrenda
fulmina, tot Pestis con-
clamata funera, tot tan-
tasque nocturnas & di-
tu

DEDICATIO.

turnas Imperii curas, quod Regia V. Majestas valeat & vigeat, quotidianum Divinae Providentiae est miraculum. Exornat Rex Regum Reges titulis excellentissimis, quod sint Dii, altissimi filii, angeli Dei, capita orbis, clypei, civitatum portae, lapides angulares, servatores, annuli signatorii in Dei dextra. Implevit haec omnia in Majest. V. Altissimus, V. Majestatem suo loco in terris terrestrem Deum collocavit, V. Majestatem paterna, ut filium suscepit benevolentia, V. Majestas angelum

DEDICATIO.

gelum Dei repræsentat summa clementia, & caput, & clypeus orbis, civitatum porta, lapis angularis & Servator, magnanimitate, fortitudine, iustitia, constantia, & felicitate excellentissimè audit. Et quam providè Divina Clementia Regem nostrum Clementissimum, ut annulum conservavit signatorium, grato animo venerabunda proficitur Dania, tot & tantæ Virtutes Regiæ universum, quæ patet, illustrantes orbem, animimum subjectissimo addidero servo, ut Regiæ Majestati pulvinari & pedibus advolu-

tu

DEDICATIO.

tus, paucas multarum lachry-
marum afferam devotissimè
paginas, in quibus Pestis la-
mentabilis facies exprimitur,
superiori anno Regiæ huic
civitati extremam tantum
non ruinam minitantis; sed
Clementissimus vitæ necisq;
arbiter, in media ira immensæ
recordatus misericordiæ, re-
spexit miseros, hinc malum
mitigando, illinc virtutem
medicamentis addendo, tan-
demque mortis angelum pe-
nitus removendo. Qua cu-
ra, qua dexteritate, adjuvan-
te medicorum medico, offi-
cū

)(4

cū

DEDICATIO.

cii mei partes tum temporis
& ante impleverim, novit il-
le, cui nota sunt omnia. No-
runt illud in publicis Nofo-
comiis Regiis, & in urbe & ex-
tra urbem ægroti mortis fau-
cibus erepti, quorum vitæ ita
meam consecrabam vitam, ut
ferè vixissem.

Respiciat Regia Majestas
Benignissimo oculo libellum,
levi pondere, sed argumenti
gravitate ponderosissimum.
Protegat fervum humilli-
mum umbraculo, & Clemen-
tiæ alis, qui aliis intervendo
consumitur. Sit Regia Maje-
stas

DEDICATIO.

itas Deus, angelus, caput,
clypeus, porta, lapis angu-
laris seruo subjectissimo me-
usque Servator. Et supplex
oro Deum, ter optimum
Maximum, fervet Vestram
Majestatem cum Regia Hæ-
reditaria domo ut annulum
signatorium, sitq; V. Majestas
felicior Augusto, sit melior
Trajano! Debillet Deus
Hostes, dilatet Imperii po-
mœria, averruncet Pestem
Regnorumque detrimen-
tum, & vitam tranquillam
& diuturnam prosperosque
upsra vota etiam successus
Re-

DEDICATIO.

Regiæ V. Majestati constan-
tissimè largiatur!

**REGIÆ V. MA-
JESTATIS**

*Humillimus & Submissima devotionis
Servus*

Johann Gottlieb Bötticher
U. Medicinæ Doctor.

Epistola Recommendatoria.

Illustrissimo, Excellentissimo & Gene-
roso Heroi

DOMINO
S. de PLESSEN.

Glorup in Fynia & Parein in Ducat.
Mechelburg. &c. &c.

Magno Sereniff. Reg. Majest. Dan. & Nor-
veg. Consiliario intimo, Equiti Ord. Eleph. Con-
siliario summè merito, Collegii Status An-
glici Literatorum Mæcenati perbenigno.

Illustrissimo, Excellentissimo & Gene-
roso Heroi,

DOMINO
OTTONI KRABBEN
Eichholm & Holmengard in Se-
landia &c.

Potentiff. Reg. Majest. Dan. & Norveg.
Consiliario Intimo, Region. Seland. Præsidi o-
ptimè merito, Equiti Ord. Eleph. Literato-
rum Mæcenati summè colendo.

Epistola Recommendatoria.

Illustrissimo, Excellentissimo & Gene-
roso Heroi

DOMINO
de LENTE,

Magno Sereniss. Reg. Majest. Dan. &
Norveg. Confiliario Intimo, Equiti aurato,
Summo Literatorum Mæcenati.

Illustrissimo, Excellentissimo & Gene-
roso Heroi

DOMINO
de VIEREGG,

Potentiss. Reg. Majest. Dan. Norveg.
Confiliario Intimo, Region. Norveg. Præ-
fidi Dignissimo, Equiti aurato, Lite-
ratorum Mæcenati optimè ho-
norando.

Tri-

TRiplex divinæ misericordiæ Argumentum superiori anno habuimus Peste miserandum in modum grassante. Unum est horrendum hoc malum certis iisque angustis circumscriptum ab Altissimo fuisse terminis. Alterum ad ἀκμὴν non pervenisse Pestem & palleſcentis Pestilentiæ non induisse faciem. Tertium est, quod Domus Regia, omnesque Regni Proceres latus Regium stipantes à Deo Clementissimo, hanc calamitate exempti fuerint. Narrat Sigebertus in Chronico, ad Annum 654, Timor magnus super homines venit, Pestilentiaque gravissima tribus æstivis mensibus grassata est, cunctis visibiliter apparente, Bonum ac Malum Angelum nocte civitatem circum-
ire

ire , & quoties jussu boni Angeli
malus Angelus venabulo , quod manu
ferre videbatur , ostium cujusque do-
mus percussisset , tot ex eadem do-
mo sequenti interibant. At immor-
tales Immortali debentur gratiæ , quod
pallidæ Luis Angelum non jusserit æ-
quo pede pulsare pauperum tabernas ,
Regumque turrets. Et quod Mor-
bus hic *Θείλατ* non universum Re-
gnum , quasi Universale quoddam
diluvium invaserit. Vos Viri Illu-
strissimi & Fidelissimi Regni Proceres,
Vos , inquam misericordiæ Divinæ
argumenta evidentissima suspicio , qui
Consilio , Prudentia , Fide , Animi-
que constantia tanquam invicti A-
tlantes imposita sustinetis onera. Ad-
dat

dat vobis Altissimus vires , annumeret Nestoreos annos, concedat exoptatum in rebus gerendis successum , au-geat Illustr. Gener. V. Domus novâ quotidie felicitate ! Cumque Vobis Eminentissimi Patroni non sit ignotum , quam diligenter , circumspicte & feliciter , adjuvante Deo , ægris succurrerim & Peste aliisque morbis rebellibus enervatis & in publicis Regiis Xenodochiis , & privatis ædibus, id quod libello hoc de Peste & Pestilentia omnium oculis expono , ad Vestram Generositatem tanquam sacram confugio Ancoram, ut non subducar tantum multorum invidiæ, sed mea etiam humillima & fida Diligentia & Cura in sublevandis tot millibus pro Aris & focis militantibus Patri Patriæ Clementissimo, Vobis
Æquis

Epistola recommendatoria.

Æquis, Justisque Interpretibus clare
innotescat. Valete Heroes Illustris-
simi ad Gloriam Divinam, publicum
Emolumentum, Regnorumque Glo-
riam nati,

Et Clienti vestro subjecto

& non uno nomine addictissimo
favete

J. G. Böttichero, U. Med. D.

Præ



Præfatio ad Lectorem.

Lectori Cordato & Candido S. P. D.

Incipiente quolibet novô annô apud Indos olim Philosophi omnes ad Regis fores conveniebant, & quicquid quis eô anno de morborum cognitione, de animalibus & de Republica congefferat vel observarat, in medium proferebant, teste Strabone l. 15. Uti hoc notatu dignum literatorum fuit commercium, sic dignum Principe factum erat laudatiffimum: Egregio hoc Indorum exemplo ductus, & Salustii dictione svasus, quod is Vir demum vivere & animâ frui videatur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris & artis bonæ famam quærit, oculis tuis æquoque iudicio hic brevem Pestis & Pestilentiaë adumbrationem expono, ex qua Pandoræ pyxide hæc *παρωλεθρία* lamenta-

)(

menta-

mentabilis evolat, quæ ejus miserabilis facies, quam horrendas excitat tragœdias, quarum finis non est. Plaudite sed Plangite, brevibusque subjungo, quibus Remediis morbo huic morborum omnium maximè funesto est occurrendum, quantum quidem medicorum Medicus admittit, qui ut omnes immittit unus, omnesque unus tollit morbos, ita in primis pestiferum & infert solus & aufert malum ut proinde præsentissima Pestilentia medicamenta è manu Dei per manum medicorum propinentur, morbus enim ipse est flagellum, digitus manusque Dei, qui non nisi auxiliatrice Dei manu & medicinali digito vel mitigatur vel extirpatur. Deinde quoque quæ biennio abhinc pallida lue pestifera Hassnia per sex menses sæviente, inter tot negotia, quibus oppressus mihi annotare licuerunt, candide tibi iterum communico.

Causa denique non una mihi fuit, cur manum huic admoverem tabulæ. Primum ut demonstrarem, quam ardua res sit medicinam profiteri, præsertim contagioso ve cœlo vel corpore humano; nulla enim facultas medicinâ est feracior.

Stul

Prefatio.

Stulta sapit vulgus, Medicus vult quilibet esse.

Multique se somniant medicos, cum medico indigeant, mirum illis caput & cerebrum Helleboro perpurgaturo. Hinc cum gemitu videmus medicaftros, ægrotos omnes uno eodemque calceare colopodio, quasi medicamentum unum idemque universale univerfis fit morbis, quemadmodum ex nuperrima differtatiuncula medica inaugurali quoque innotuit. Hic ubique crepat vomitoria. Ille antea Chirurgiam solummodo professus, curationem Mercurii salivalem omnibus imperatoriè injungit, ipseque in hoc uno defudat; iste ad Pilulas purgantes tanquam sacram confugit ancoram, aureumque Thesaurum. Alter perverfis & corruptis suis principiis veritatis tramitem planè transcurrit, in rerum futilium & verborum, ne cassa quidem nuce compensandorum, hæsitat luto ægrotisque inani jactantia & speciosis verbis spem sine spe inflat. Alter demum artis experimenta per aliorum mortes facit. Nolo plura adducere ex hoc fimeto, cogitent modo perfracti isti homines rationem vitæ necisque arbitro reddendam de officiosa hac laniena & medendi carnificina.

) (2

Secun-

Praefatio.

Secundo omnibus sinceris & præjudicio inimicis arbitris clarè & distinctè ostendere volui, qua rerum cognitione quâ curâ, quibus Remediis invigilaverim grassante per urbem mortis angelo. Notum illud Deo opt. maximo. Gaudet ea de re illæsa mihi conscientia, loquuntur illud Nosodochia Regia, subscribunt Regni proceres, confitentur tot mortis faucibus erepti & tumulorum candidati, nil habent quod reponere possunt invidi atque inimici. Te verò candidè Lector oro obtestorque, ut eodem hæc omnia legas, quo scripta sint animo, id est sincero & nullas in partes distracto, atque iterum iterumque mecum ingemiscas.

Dii talem nostris terris avertite Pestem!

In

Eruditissimum Nobilissimi Clarissimique

DOMINI

Johann. Gottlieb Böttcheri

Medicin. Doctoris experientissimi, de Peste
nuperrima Hassniensi Tractatum

HAssnia, quæ dira Pestis contagia nuper
Lugebas, Medico plaude renata Tuo!

Quò

*Qui tristes memorat strages Böttcherus, acuta
Ille luis latam mente recenset opem,
Corpore vive diu illaso, Böttchere doceque!
Qui Medico dignum Nomen & Omen habes.*

Antonius Lüders
Medicin. Doct. & Pract. Hamburg.

Nobilissimo, Celeberrimo,
& experta medendi dexteritate

Clarissimo VIRO,

Doct. Johanni Gottlieb
Böttichero,

Medico Haffniensi Felicissimo, Affini
Honoratissimo,

Mentem suam de morbis malignis & Peste
Haffniæ grassante publico aperienti
scripto

h. E. p.

Michael Franck,

Philosoph. Mag. & V. D. Minist. Saabyensis &
Kizerupensis in Selandia Danorum.

Haffnia cum pingis dum lamentabile Vulnus,
Bötticher in nostro pectore vulnus agis.

)(X 3

Plango

Plango piam Matrem, dulcem deploro Sororem,
Perfundo lachrymis funera sancta meis.
Ab quam Urbem! Ab rancos conclamantes ululatus!
Quot lamentantes angulus omnis habet!
Conjugis est terror, Conjux & amicus amicum
In querulis stratis horret adire suum.
Ægroti est tumulus lectus, ructatur amicis
Vel circumspectis mors inopina labris.
Ignis edit fibras, surgunt de sanguine montes,
Insolitum tumulum, quodlibet ulcus habet.
Vix miser expirat, labuntur ab ossibus ossa,
Et locus est ventris, quò modo venter erat.
Limina clauduntur foetoribus horrida tetris,
Mors sedet in minimis insidiosa locis.
Sancte Deus, mitisque Pater, justissime Judex,
Hoc meret, & gravius Vira scelestamalum.
Nostra tuis Oculis & Pestis spurca libido
Rancidula inde vorax, inguina virus edet.
Nostra tuis Oculis Pestis temulenta libido,
Pestifer hinc foedum guttur avernus habet.
Nostra tuis oculis est Pestis avara libido,
Hinc jubet injustis cedere parca bonis.
Quam altas erexit ventosa superbia cristas,
Quot formas sumpsit corpus inane novas.
His, Deus, ex cristis spectacula tristia fingis,
Et faciem veram corporis ipse doces.
Verba tua in dulces vertunt ceu vana cachinnos,
Hinc loqueris Verbum peste reale Deus.
Haffnia Te tumuli tandem ad caelestia ducant,
Illa lues anima sit medicina tua.
Si vitium vitiò cumulas, in vindice dextra
Numinis est gravior poena parata tua.

Ab

Ah fuge ceu pestem veteris vestigia vita,
Disce Deo, & voto jam meliore frui!
Bötticher, hæc nitido complecteris omnia scripto
Cumque Dei verbò, tum ratione probas.
Sanguine turbato ponis primordia pestis,
Et peccata simul sanguinolenta notas.
Incumbis motos animi componere fluctus,
Ut firmet miseros ancora sacra spei.
Sic recte officii partes, & muneris imples,
Cum medicina anima membra gravata levat.
Scilicet in sano cum mens sit corpore sana,
Exactè sanus redditur eger homo.
Te Deus exposuit morti, te mille periclis,
Exstincta est fatis unica nata tua.
Te Deus eripuit morti, Te mille periclis,
Una salus ægris, ut tua vita foret.
Publica Morbonæ privataque limina grates
Quicquid & extra Urbem, quicquid in Urbe canunt.
Intrabant tacti gemebundas peste tabernas,
Intacti exhibant & sine peste domum.
Pestis eras pesti morborum morbus & horror,
Non arti doctæ prævalere mala.
Sic tibi porrò adsit Medicus Supremus & unus,
Cui nullus patiens mortuus ante diem.
Ut tua morborum rabiem prudentia frænet
Inque manu Medici sit Medicina Dei.

An.

Aldio quod cupias de morbis edere librum,
Qui subito invadunt corripuntque homines.
Ergo Tibi gratulor, votis felicibus optans,
Gratia te servet Numinis alma diu!

Nobilissimo consumataeque eruditionis
V I R O,
Domino Johanni Gottlieb
Böttichero,
Medicinæ Doctori felicissimo,
Patrono suo maxime suspiciendo gratula-
bundus ita accinit.

Johannes Henricus Lüders
Linguarum Cultor.

CAP.



CAP. I.

*Quod Theoriam explicat seu de Theoretica Pestis
& Pestilentia descriptione.*

ARduam admodum multisque huc usque difficultatibus implicitam pertractare materiam est animus, quippe quæ peritissimorum sæpius medicorum fatigavit ingenia: versatur eadem circa morborum malignorum, præprimis Pestis & Pestilentia naturam, ejusque causas genuinas, & remedia solidis ex principiis deducit. Etenim si eorum indolem perversam intimamur æstimatione, eos certè varia sub forma et larva sua ludere dramata, facilèque minus eludere cautos comperiemus. Interdum enim aperta cautos vi et furentis ad instar Tyranni hominum genus aggrediuntur, unde non ineptè pronunciavit Galenus libr. de Theriac: ad Pisonem: Pestem, ceu feram venenatam

A

tam

tam quandam totas depopulari Civitates et Re-
giones, quapropter eosdem ut fulmen quod-
dam esse in proem. com. I. I. επιδ. scribit, hac-
que ratione morborum vivorum nomine ac
specie à quidusdam insigniri posse arbitror,
quemadmodum et Kircherum et Christ. Lang.
in raro super hac materia scripto sensisse recor-
dor. Interdum autem isti morbi maligni, im-
primis Pestilentia, clam et per insidias agunt,
magnamque hinc inde serpendo edunt stragem
et suum extendunt longe latèque malignitatis
virus. Veteres Cacoëthes illis morbis assigna-
vere, qui non facile curationem admittunt,
quemadmodum ipsum innuit vocabulum. In
genere volupè erit tam malignitatis propriè di-
ctæ sobolem, quam ipsam Pestilentiam,
præprimis Pestem, et quæ peste nuperrima
Haffniensi notatu digna occurrerunt, brevior-
re quadam descriptione delineare. Consistit
ea autem in peculiari spirituum animalium
αταξία, Sanguinis turbatione, dissolutione cœ-
terorum Machinæ humorum corruptione, con-
iuncta cum vitalium, tum animalium virium
prostratione, quandoque majori, quandoque
minori, qua ex re Pestilentiam tanquam sum-
mum istius malignitatis gradum esse, omnibus
persvasum nullus dubito, ut ut generalem e-
jus descriptionem propter Symptomatum va-
rietatem et multitudinem, nec non latentem
variarum causarum procatarcticarum indolem

vix dare licet ; concipiatur tamen ut morbus maxime malignus , popularis , epidemius omnium acutissimus & infensissimus , comitatus bubone , anthrace , petechiis , vibicibus , aliisque exanthematibus , febre maxime acuta , & maligna , ac gravioribus aliis Symptomatis , testibus Angelo Sala , Julio Palmario , Quercetano , Plempio , Sennerto , Platero , Diemerbrockio , Riverio , Dolæo , Etmüllero , Sydenhamio , aliisque pluribus.

Pestilentia a Græcis plerumque Definitio Pestilentia & Pestis.
 λοιμὸς ἢ λέθριον ἐπιδημία & νόσος κατ' ἐξοχὴν vel νόσος θεῶν appellari solet. Magnum Daniae Lumen Brochmannus in Tract. de manu Domini seu peste, tria Pestis nomina ex Hebræo adducit דַּשָׁת, קֶטֶב, דַּבָּר. Eaque doctè & piè exponit. Latinis Luës vel Pestis audit contagium. Muretus derivat nomen Pestis à cadendo ἡδὲ τὸ πῆξαι : Eadem autem à Paulo Diacono Pestilentia cognominatur Ingvinaria à Bubonibus. Leonh. Fuchsius p. 3. l. 4. c. 22. Pestilentiam esse Luem perniciosam ex aëre, summèque contagiosam , quamque homines promiscuè invadere uno eodemque tempore egregiè docuit. Medicorum nonnulli dantur, qui inter Pestem & Pestilentiam meritò hanc differentiam statuunt , quod 1) Pestilentia celeriore severioreque exitum, quin et severiõra , velocioraque tempo- Differentia inter Pestilent, & pestem.

A 2

ra

ra sustineat quam Pestis. 2) quod Pestilentia ab infecto præcedaneo aëre in loco publico ortum ducat: Pestis autem sine aëre infecto saltem à præcedanea febre maligna epidemica petechiali seu morbo Hungarico suboriri possit. 3) quod Pestilentia contagio plures, quam qui sanantur, intereant, qui plura cupit, adeat inter multos Galen. libr. 3 de prælag. ex puls. c. 4. & 5. Qua ex re quemlibet mihi suffragari confido, quod Pestis nimirum sævire possit sine aëre atmosphærico infecto, è contra autem Pestilentiam nullam dari posse, ubi non Aër Atmosphæricus planè sit infectus seu heterogeneis & venenatis ita inquinatus partibus, ut omnia ferè animantia obvia funesto invadat exitu & e necet. Hisce adjungere nec incongruum erit, si Observatorum experientiam innuerem, dari quandoque posse febrem Pestilentem sine subsequenti signis externis, Bubone & Anthrace, quin & dari sæpiùs, quod ego plusquam centies observavi, tumores Parotides, & subalis, & in Inguinibus sine febre Pestilenti, quos cum præcedanea febre ardente solitaria erupuisse mecum multi observatores a notarunt. Sic Anno Christi MDLXVIII sæviebant Febres Pestilentes Parisiis, ab atrocissimo dolore initium ducentes, quæ nullis stipatæ exanthematibus, bubonibus scilicet, anthracibus & Petechiis observabantur. Et ab anno 1525. ad 30. pervagata est febris pestilens sudorifera, seu

Sudor

Sudor Anglicus ἰδρωσὺπετός à Britannia, in Galliam & Belgium. Perculsi mox quasi essent, languore dissoluti, animi defectione corruerunt, decumbentesque perpetuo sudore diffluerunt, cum febre, pulsu crebro, celere & inæquali, neque sudori modus erat ante morbi solutionem, quæ febris nullis concomitata exanthematibus, cum tamen multa millia hominum è medio sustulit, universasque civitates absorpsit. Existente vero genuino morbo contagioso Pestilentiali & existere quoque morbi proles despumatione & secessione heterogenearum miasmatis pestiferi factâ, exanthemata nimirum vera ut certissima signa, & solitaria uno asserere ore Medici gestiunt. Utrum vero in quolibet individuo, Peste vel Pestilentia correpto, ante exanthematum eruptionem accessus & impetus febrilis sit unius moris, ambigere abstineo: hoc annectere non pigebit, quod multa Pestis contagio, & in nostro non ita pridem sæviente, infecta corpora cubili nè trium dierum quidem spatio affixa tenuerit, quin potius quinto morbi die cum carbunculis vel bubonibus in Plateis publicè obambulaverint. Multis aliis è contrario & quidem mense Septembris, Octobris & Novemb. venenum pestiferum tam fuerit volatile & acre, ut sanguinis intima cæterorumque fluidorum ita turbaret, dissolveret, depravaret, ut intra 36. horarum spatium extincti essent prius, quam ulla facta despumatione,

A 3

sub.

subsequuta exanthemata. Sic Ancilla mea Sanguinea & Plethorica, mense Octobr. peste tertio die jugulata sine ulla eruptione exanthematum. Et Mercator Plethoricus mense Septemb. 24. horarum spatio sine ulla emersione exanthematum peste interiit: Quin etiam multis, quorum Sanguis & spiritus anim. nimis torperent, aut ob decliviorē ætatem, aut diuturnum morbum, quō antea fuerunt attriti, nulla exanthematum eruptio est observata. Ex hisce colligere licet, quod diversa miasmatis pestiferi ferocia in corporibus humanis dependeat à diversa Laticis purpurei & spirit. animalium indole, eorumque copia, elateris vigore & constanti ejus renitentia.

Differentia
Morborum
maligno-
rum.

Ne à Scopo nimis aberrem, evincere sustinebo, gradualem inter febres malignas intercedere differentiam, istasque à fermenti peregrini seu miasmatis seu fomitis veneni diversa graduale indole & à symptomatis propriis peculiaribus sua sortiri nomina: sic si v. c. insignis capitis dolor, delirium, cardialgia, linguæ ariditas, inquietudines, æstus, & sitis intensa hos vel illos infestant homines, febrem produnt malignam vel castrensem seu Hungaricam: Si verò hisce dictis maculæ varii coloris junctæ notantur, nomine Petechialis audit; quod si denique istæ Petechiæ lividæ, cœruleæ, vel stigmata alia, vibi-

vibices, vesiculæ coeruleæ scil. post mortem ægrotantium vel paulo ante hanc conspiciantur, istaque stigmata sint insolita multisque ægrotantibus Urbe populosa seu alio loco publico observentur, & in una vel altera domo plures ex iis intereant quam sanentur, febris Pestilens nuncupatur, quam si demum cum Petechiis vel vibicibus concomitantur Bubones & anthraces, & ab unius vicini domo ad alterius irrependo hominum genus veneno invadat suo, Pestis nomine venit veræ, quæque si tum virus indiscriminatum suum undique spargat, massam ætheris & æris ita imprægnat, ut eo modo tranquilla tempestate, ær ubique expansus, corpus indifferenter fluidum & mobile, quod nullam ultro citroque commeandi quietem habere potest, utpote cujus rara fluida ac spirabilis natura terram undique circumsepiens, corpusculisque conflatus varii generis, potissimum autem oblongis filamentibus, quasi ramosis, rigidis & flexibilibus, magnitudinis diversæ, & comprimi pariter, & resilire evolvi que aptis, ætheri velut innatantibus, atque plumularum modo, vel lanuginis inter se devinctis, quarum inferiores à superioribus pressæ & in cataractas quasi coactæ, non solum quandam sui partem eò continuo compellunt, ubi minor contrahitur resistantiæ vis, sed etiam in contrario sese restituendi, expandive nisu versantur, & ubi locum rarefactum inveniunt

A 4

niunt, & se ac corpora obsequiosa expandunt, Quomodo ex in sinu inquam suo elastico, un-
 Peste Pestilen- dique expansivo miasmata a
 tia suscitatur. causis præcedaneis procatarcti-
 cis Luis pestiferæ recipiat, naturæ legibus ex-
 plodat iterum, hominibus & brutis tanquam
 principium vitale se præbendo, & vitam &
 mortem simul inculcat, præsertim subjectis
 ad virus recipiendum analogis, sicque tum hoc
 modo ex Peste Pestilentia, humani generis Ty-
 rannis, omnium severissima existit; plura de
 hisce in sequentibus percepturi sumus. Circa
 morborum differentiam malignorum descri-
 bendam occupatus, una scenâ ab Auctore, quo
 omnia evidentiora appareant, in acutos,
 peracutos, & exquisitè acutos distinctos pro-
 nunciari commemorandum erit; testibus Die-
 merbrockio, Jacobæo aliisque pluribus, quæ ex
 Symptomatum syndrome aut evidenti aut dolo-
 sa dignoscuntur. Sic prima invasione febris Pe-
 techialis, ægri saltem de artuum lassitudine
 spontanea, vertigine, Scotomia, dolore capitis,
 calore minus vehementi conqueruntur; in
 progressu autem morbi omnia ita invalescant, ut
 æstus augeatur cum intolerabili siti, accedant
 agrypnia, dolores lumborum atrocissimi, anxie-
 tates præcordiorum enormes, & plura alia.
 Et secundum de le Boe Sylvii sententiam tres
 morborum acutorum classes in contagiosas &
 minus contagiosas distingui videmus. Ne res
 citra

citra necessitatem multiplicare videar, derelicta aliorum distinctione, quâ multorum ingenia ultrò jucunde ludunt, paucis dicendo placet, acutos esse eos, qui periodum suam celeriter absolvunt seu tempora mox percurrunt & plerumque 14. diebus judicantur, quibus omnes febres ardentes continuæ, febris Scorbutica, purpurea, variolæ modò malignæ, modò benignæ, morbilli modò maligni, modò minus contagiosi, Pleuritis, Peripneumonia, Dysenteria minus contagiosa seu Solitaria, aliæque febres Symptomaticæ acutæ ex viscerum nimirum inflammatione nobiliorum vel minus nobiliorum, cum primis subortæ comprehenduntur; quamvis sint, qui acutos ex decidentia ut vocant ad quadragesimum penè diem quandoq; extendunt. Peracutis intelligi, qui septimo & nono judicantur die, ut febres Hungaricæ, Petechiales, variolæ & morbilli maxime contagiosi seu quibus petechiæ intermixtæ apparent, uti sæpe numero observavi, Dysenteria contagiosa & maligna non poenitebit. Exquisitè acutis concipi volo febrem Pestilentem cum Phrenitide, Pestem & Pestilentiam intra quartum vel septimum diem scenam absolventes suam, sæpe autem primo statim aut secundo die jugulant, septimum, si istæ extiterint legitimæ, vix unquam prætergressæ. Ob vim ergo suam maxime deleteriam Pestilentia, cujus indolem ita enucleare placebit, est morbus ex

A 5

qui-

quisitissime acutus. Maximè est quoque contagiosus, quia secundum Hippocratem miasmata seu morbidam excretionem in se continent: venenata hinc est Pestilentia & Pestis, quia ista miasmata pestifera summè volatilia, acerrima, maximè corrosiva sunt, & ætheream vehunt materiam, summe peregrinam & velocem, quæ suam turbando & dissolvendo sanguinis nexum intimum vim ulla sine mora exferit. Cantharides quidem solam exulcerare vesicam, Cicutam soli noxiam existere Cerebro, lepum marinum solis pulmonibus, torpedinem solam Piscatoris manum stupefacere perhibent. Ast Pestilentiam & Pestem Tyrannides maximè furiosas pleno totum agmine corpus humanum infestare, nullisque parcere partibus quem quæso fugit?

De Partibus
affectis pri-
mariis, quæ
sunt corpo-
ris fluida.

Quo jam omnia antea dicta evidentiore foenerentur lucem commemorandum erit, miasmata maligna primò impetu ad ataxiam spiritus cogere animales, deinde rori purpureo cæterisque fluidis orgasmum & ebullitionem quasi perniciosam inducere viriumque prostrationem excitare, parili ferè modo ac in liquoribus generosis tonitru aut terræ motu tactis procedere observamus, istos certè in pristinum sapidum statum haud prius redigi, quamdiu eorum spirituosas partes turbatas & sufflamatas videmus, quos liquores tum à sua

sua crasi abiisse intimâ comperiemus ; statim atque autem spirituosæ sufflaminata partes elasticitatem adeptæ suam, nisum hinc istum expansivum exercent vigorem, ac statum ocius integrum iterum ostendunt. Quapropter partes affectæ, ut ordine procedam, sunt potissimum Latex Machinæ purpureus, & ab eo secreti liquores totius corporis : Istius enim fibræ, ceu totidem tubuli, dum a succis in se continentibus undiquaque expansæ & extensæ tremant, per mæandros, ut ut integumentorum subtilissimos, irrepens virus non tam citò recipiunt, quam ut istud se succis ibidem stabulantibus insinuet, & porro vim è momento humoribus sic primum circulantibus obviis deleteriam affricet, fieri tum aliter nequit, quin istâ introductâ hostis, hostilitatem suam in spiritus animales, Lympham, & intima sanguinis exserit mixta, eorum nexum amoliri, dissolvere, reluctantemque amicum ætherem, in suo contrario nisu disturbare & suppressere, omnibus nititur viribus, quibus duobus motibus contrariis in sanguine suscitatis tot globulis congesto rubicundis, dum isti ob ejusmodi renitentias & luctus ad latera vasorum, majores & fortiores agere & describere vortices coguntur, vis eo ipso elastica sua æquali renentiâ non nihil privatur, unde placidus in sanguine motus in tumultuosum abit, hoc est fermentationes sanguinis miro modo, sed damnosâ spirituum vitalium pessundatione & deperditione,

ne,

ne , animalium prostratione & impedita secretione augmentur , hoc est turbatus existit , cum spontaneâ lassitudine , de quibus imposterum plura ; hinc accidit , ut pulsus modò æqualis , modò inæqualis , æstus modò mitis , modò intensior , secundum nimirum sanguinis indolem & diathesin , copiam ac vigorem atque miasmatis activitatem , ætherisque in sanguine minori vel majori renitentia , motu sanguinis sic intestino in progressivum verso doloso modo cum Medici & ægrotantis deceptione , signis sæpius tum ut bonis apparentibus , ægrum ex improvise medio tollat. Quandoque miasmata venenata ore & naribus excepta aut Saliva aut lymphâ sanguini communicantur , sicque turbando Pestem , imo pestilentiam excitant. Quemadmodum igitur miasmata pestifera potissimum sunt mere volatilia & acria , quæ inimicum & peregrinum trajiciunt ætherem : sic quoque eorum invadendi diversus gradus , prout funesta ferat activitas , secundum indolem & nexum fluidorum , ac ætheris eorum resistantiam diversum in fluidis quam solidis effectum exserat oportet. Hocce fatum cum in omnibus penè malignis observari quilibet concedet , quandoquidem v. c. in febre petechiali seu malignâ , in omnes feratur ebullitio perniciofa ; quo magis enim humorum orgasmus tam in miasmate Petechiali varioloso , quin & pestifero evehitur , eo magis istis papulis , maculis , bubonibus & carbunculis
& par-

& partes internæ & externæ defœdentur, (hinc quo temperatiori tractentur regimine petechiæ, morbilli & variolæ decrefcere & minori apparent copia) in omnium quoque viscerum à sanguine præcipitatis dehinc lancinantibus particulis compaginata tubulofa & glandulofa textura, à quibus, ut totidem volatilibus ibidem aculeatis partibus incunatis, coëxistere totidem inflammationes, Obstructiones, subsequen-
tium liquidorum ftagnationes, ut exinde appareant maculæ, papulæ, bubones, anthraces interni, prout miasmatum activitas, indoles, copia, & sanguinis indoles ac diathesis fuerit, sana dicitur ratio, qua ex causâ accidit, ut ex inopinato carbunculo interno nobile viscus occupante extinguatur æger, uti multoties expertus testor.

Quod si jam morborum mali-
gnorum Pestis & Pestilentia plus mi-
nusve in sanguinis cœterorumq; liquidorum tur-
batione, nexus dissolutione, spirituum animalium ataxia causâ ponatur proxima, quam veteres sub putredinis & corruptionis humorum nomine complexi. Clarum quoque, & extra omnem dubitationis aleam esse, omnium morborum malignorum præsertim Pestis & Pestilentia indolem non ad acidam, sed alcalinam accedere naturam, quis est qui inficias ibit? Hæcce quamvis in se evidentia radiant, tamen omnis ut dirimatur litigatio, in medium adhuc evi-
den-

De Causa
Proxima.

supra

dentiora & clariora proferre , quantum temporum opportunitas , meaque patietur tenuitas, decrevi. Ast ut ut non omnibus opportuna via in detegendis naturæ mysteriis destinata, ita & ego auguror mihi adire Corinthum difficile fore: contentum vero Lectorem de istis veritati & sanis principiis congruentibus mihi gratulor.

Pestis & Pestilentia indolem seu essentiam ad alcalinam semper naturam propendere demonstratur.

In superioribus eruimus, causam proximam in sanguinis turbatione & spirituum animalium ataxia consistere; effectum ergo malignitatis à secessione nexus particularum sanguinis dependere quilibet concedet, de hisce con-

fer Ettmüller. Willisium, Sylvium, Joh. Michael, Walschmid: & Craanen, sic præcipuè J. Michael in sua Praxi clinica special. c. II. causam morb. malignorum in sanguinis compagis solutione, destructione, turbatione, & universæ Oeconomiae labefactione, à particulis acribus volatilibus & valde incongruis, oriunda consistere liquidò & egregiè explicuit, quæ scil. fundendo agant, dum ita dissolvunt sanguinis compagem, ut in serosum abeat liquorem. Nihil hinc ulterius impediet, quo minus veritatem assequendo, nullum concipi posse malignosum, nisi quod profapia debeat ortum alcalicæ doceamus; Argumenta Thesin confirmantia sunt sequentia 1) quia nullum miasma contagiosum, unquam coagulando, sed fundendo humores, eosque

eosque turbando egerit, quod & à priori morborum apparentiæ, & à posteriori eventus à nocentibus & juvantibus, indicationibus veris suffultis clarè & perspicuè indigitarunt. Etenim quomodo quæso in contranitentibus & se mutuò oppugnantibus durante actu hostibus, induciæ concipi possunt, multo minus fluida vasis contenta, continuo suo pabulò pascentia motu intestino & progressivo prædita, cum peregrino misto fermento ob luctus & renisus perseverante actu seu conflictu approximationem vel coagulationem admittunt, quin potius nexus fluidorum eò magis, nisi debelletur & exterminetur peregrinum, dissolubilior existat necesse est, adeo ut tandem omnia, quot quot & qualiacunque sint, sanguinem constituentia, amplius & ad motum & ad figuram vi elasticâ insimul debilitata & suppressa renitendo imparia & impropportionata facta, in motu tandem subsistere coguntur, h. e. circulatione sanguinis cessante, & æger vitam agere cessat, & ex qua ratione quæso omnes probatissimi Medici suadent in morbis malignis, sanguinis ebullitiones coërceri debere? nisi in sævissima ægri prolabantur symptomata; suppetunt de hac re exempla lugebunda, tanquam de narium hæmorrhagia, Phrenitide, diarrhæa & sic pluribus à volatilibus suscitata remediis. 2) si acidæ essent miasmata malignosa essentiæ, uti antea quoque enodavimus, coagulationem h. e. approximationem partium fibrosarum,

farum, ut dicunt, sanguinis ad invicem efficerent, quam autem nunquam accidisse Medici Dogmatici uno confitentur ore; ea enim inde accidit, quia acidum in illis partibus subsistendo, quarum figura est multum intricata, easque mediantibus suis aculeis seu aciculis ad centrum tendentibus colligit & cogit, quasi per totidem clariculos, qui aculei, dum corpusculis porosis adhæreant, & quasi vaginulis impacti ostentant, non sufficientes vires obtinere, ad pervadendas istas partes fibrosas dicti liquidi, unde coagulatio sequatur oportet, quam è vestigio vero, si super addatur alcalicæ naturæ corpus, tolli, Chimia docet. Tantum abest secundum nonnullorum objectiones acida suis nempe aculeis infrigendo & attenuando indifferenter ut agant, quin potius saltem de istis intelligendum autumem, quorum pori respondent proportionem; sic acetum stillatitium plumbum, non vero argentum, dissolvendi vim obtinet: Aqua fortis auro intacto argentum discerpit. Et ex qua causa omnium, quorum sanguis Phlebotomiâ educitur, Peste vel Pestilentia correptorum cum impetu exilit, & instar aquæ ferventis semper exonatur, si sanguis à miasmatis peregrinis alcalicæ naturæ non est peractus: crassarum enim partium coagulatione seu coitione, h. e. tota sanguinis motus proportionem sublatâ, motu intestino diversarum partium sanguinis impedito & elatere ejus suppresso, sanguis, qui coagulatus sanguis, Phle-

Phlebotomiâ febribus malignis , præcipue Pestilenti institutâ, cum impetu fluxilis summèque rutilans, uti mihi semper factum contigit , exsiliet, impossibile est, quin potius, aut ut purum corpus coagulatum, aut massa segregata, ubi partes crassiores per se coagulatae existant, & serum segregatum se representet ; si coagulatio febre pestilenti in MSnea statuatur necesse est : coagulatio enim præsupponit partium intimam, non superficialem approximationem, præsupponit quoque corpora motu esse destituta : Sed quomodo quæso ejusmodi intima partium approximatione seu coagulatio sine momentanea sanguinis circulationis cessatione præcipuè vasis minoribus concipi possit ? Quemadmodum igitur Phlebotomia institutâ febre pestilenti, nullus coagulatus, multo minus segregatus sanguis unquam observatus, ita quoque turbatione sanguis his morbis præsertim Peste & Pestilentia, non coagulatus, sed dissolubilior existit.

3) Ulcerosi esset argumenti & sabulosi fundamenti, quod in aëris gremio miasmata venenata acidæ pro sapia progigni & contineri possent: Quandoquidem quot sunt particulae venenatae virus exferentes suum, tot sui generis ducunt ætherem, qui eas trajiciens rotando plus motus eis impertit, quam ut figerentur & crassiores existerent; continuo enim motu & impulsu partes magis volatilifantur, hinc subtiles & volatiles redditæ particulae cum suo velocissimo æthe-

B

re

te , apprimè malignorum morborum causas constituunt : rem ulterius mihi rimanti eam firmo stare talo multos adstipulari video. Sic Sylv. Prax. M. Libr. IV: Tract. II. p. 177. & p. 241. it. pag. 186. à Sale volatili febres petechiales , Pestem & Pestilentiam suboriri confitetur. Corpora quoque dissecta peste extincta , docuerunt venenum fuisse alcalicæ naturæ , sanguis enim fluxilis , dissolutus rem exacte confirmavit : de hisce corpora obducta à febre Hungarica , jugulata in ultima obsidione Budensi rei veritatem satis superque sunt detestata.

Omnia Volatilia v. g. ex Aromatis, radicibus aromaticis , theriacalibus & laxantibus simul mista & Spir. Vini extracta (ex quibus Tinct: famigerata Præservans Dantiscana constabat) & præservandi quam curandi gratia à multis mille quotidie hominibus adhibita , in nostro nuperrimo contagio pestiferò nullum commodum , quin potius mortem ipsam accelerarunt : adeò ut sanctè testari valeam , plures à præposterâ Medicastrorum , qui in magnum reipublicæ detrimentum sani remanserunt , (è quorum numero hodierno die publicè ægrotorum interitum, nomine Eckstädt, quotidie intendit) obtorto collo remediorum adhibitione exspirasse , quam ipsa Peste oppressos fuisse. Porrò legi Theriacam & Mithridatium, famosissimum alioquin Medicamentum, in malignis
ut

ut antidoton, Pestis Hamburgensis tempore pluribus, qui ad illud, tanquam ad sacram anchoram confugere tam praeservandi quam curandi gratia, gravissima excitasse Symptomata, quibus finem apud multos, ne dicam plurimos, acerba imposuit mors: Observante Majore in Chir. infus: p. m. 268. Qui plura cupit, adeat Möllenbr. & Sydenh. it. Sylv. à quibus volatilia in morbis malignis planè exulantur. Spir. C. C. & Oleum Succini, ut remedia alias egregia, in febribus malignis & Peste funestos edidisse eventus, Sennert. in scripto suo de Consens: & Dissens. Chim: c. 18. p. m. 688. accuratè annotavit, cui assentit Platerus in sua Praxi Medica. Ab usu salis volat: oleosi Sylvii in morbis acutis Syncopem, Hæmorrhagiam narium excitatam fuisse, ut æger in Hæmoptysin incidisset, Hoffmann: in Clav. Schröd. p. m. 668. recenset. Fuerunt inter nos opinione satis clari, qui febre maligna conflictantibus volatilia propinarunt, unde ægri volatiles facti in cælum ex Medicorum ergastulis avolarunt.

Quod si jam aër, quia fluidum corpus & diversorum corporum vehiculum & receptaculum, suaque vi elastica cum

Aer cum materia ætherea est nostrum Principium vitale.

ætherea materia, sibi commista & trajiciente, sit principium nostrum vitale, & eâ ratione causa occasionalis morborum mali-

gnorum, cum primis Pestilentia nomine veniat: calidum ergo innatum seu radicale à veteribus sic dictum; hocque principio vitali ubique expanso, ubique dominante, existente, planè exauctorari & exequias pati sequatur oportet; Is scilicet. Aër cum suo elatere, quem alii similitudine chordæ, aut arcus tensi restitutione, exemploque Gossypii, Lanæ, Spongiarum, plumularum, præsertim olorinarum aliarumque innumrabiliū, quæ tensæ aut compressæ, in contrario, perpetuoque resistendi expandive nisu versantur, assequi volunt, pulmonum Parenchyma ob texturam maximè vesiculosam ac cellulosam expansivum, ope muscutorum Thoracis & Diaphragmatis, pervadendo dilatat, ac latici semiscens purpureo, novum motum, novam quasi vitam impertit, exspirando illud concidere permittit.

Aër utique est, qui Machinam ex omnibus ambit latere nostram, illique incumbit, cui quasi innatamus, sanguinis pabulum, nostrique corporis spiracula permeando conservator existit. Animalium quoque omnium, cujuscunque sint sexus, ætatis & structuræ, sive natantium sive volantium, reptantium, amphibiorum, vitæ filum j̄gi influxu perennat. Pisces, de quorum aëris usura multi dubitarunt, mediis sub aquis aëre frui, dudum jam est convictum, frigus glaciale in stagnis eos detinens, indigitat, quam

anxia

anxiè eos quærere aërem; occurrunt enim for-
mini, & summâ cum sollicitudine ore aperto, &
bronchiarum diductione turmatim haurire co-
nantur aërem. Quid de vita insectorum an-
nuâ dicam? hyemis inclementia, vitam cum
morte mutare, accedente verò vere & calore
proportionato reviviscere dicunt observato-
res. Animalcula, quibus aër antlia pneuma-
tica subtractus, ejus absentiam difficili respira-
tione, deliquio, palpitatione cordis & titubatio-
ne, satis superque ostentant; admissio vero aëre,
novam vitam, quasi iis largitam, tripudio te-
stantur: ut hinc non ineptè quis maximum vitæ
animalis momentum in justâ fluidi proportio-
ne reponat: Confer de hisce Pechlini de aëris &
alimenti defectu & vita sub aquis p. 24, 25, &
26, Insectis quis Principium vitale denegabit?
subit illud, interrupto modo eorum tracheas,
exagitando hinc sanguinem totis animalculis
novam concedit vitam, hinc sine restitutionis
spe illa perire videmus, si tracheis unguentosis,
vel aliis ejusmodi inferatur oppilatio, qua aëri
transituro libera præcludatur transgressio.
Bombyces, Scorpiones, dum eorum canaliculi
aëriferi materiâ oblinantur unctuosa, extingui
experimur, certò indicio sine aëre vitam peren-
nem haud esse. Vegetabilia quoque egere aë-
re, loquitur experientia & in eo existere ani-
mam vegetativam arguere licet; Hinc quam-
primum oleo includantur semina, quo prohi-

B 3

bito

bito aëris ingressu & vegetare desinunt, libera ab existentia vegetabilia notabile fumere incrementum, Marcellus Malphigius, magni ponderis rationibus in Anatomia Plantarum de fistulis vegetabilium spiralibus, seu vasis aëri-feris, scribens defendit. Per quos nimirum tubulos aër à terra percolatus, plantarum quasvis ingreditur particulas, ut his aëque ac in animalibus præter vitæ communicationem atque perennitatem succorum, motum juvet intestinum atque localem, simul tamen harum erectionem in germinatione facili- tet. In sempervivo aër quanti sit momenti se manifestat; & satis curiosa sunt, quæ Hens-havv. de quercu perhibet marina. Maximè quoque concinnum est, quod de serpentum & aranearum solius aëris vitæ pereñitate traditur. Neque incongruum experimentum, quod ab Hooke Societati Anglorum communicatum, quò expalescit, quod quatenus pulmones remoto sternò & Thorace aperto, repetitis ictibus mediante folle tracheæ immisso inflantur, artificiali hâc respiratione, motus cordis maximam partem extinctus restituatur; hinc imminens mors, ad horæ spatium & pro lubitu differatur & prolongetur. Et quem quæso fugit Principii vitalis præsentiam in ovo humano? isto enim primum punctum rutilans exci- tari, & stamina, mediante succo nutritio ex matricis tubulis deposito, corporis insimul ex-
pla-

planari, uno asserere ore Medici gestiumt. Et quemadmodum in quolibet ovo, in quo tota carina specialis sexûs est delineata, subtilissima aurâ feminis maris, seu succo æereo genitali fermentatione primâ inducta, punctô rutilante apparente vitæ ortus exilit; sic quoque sine dubio æere mediante, succo nutritio isti commisto, ad os Embryonis corrivante, sine ulla respiratione in matrice sustentatur, & carcere exclusus seu nativitatis nostræ tepidario protrahitur, æere, quô ad vitæ finem conservatur, fruitur.

In antecedentibus æerem cum ætherea materia commistum, & esse Principium vitale, & causam morborum malignorum, præprimis pestis & Pestilentiaë occasionalem, enodavimus; hocce ut adhuc majori radiet evidentiâ, aliorum authorum sententias subire, & quæ in mea nascuntur arena adungere operæ præteritum duco. Sic Galenus de diff. Febr. æerem febrium malignarum & Pestilentiaë receptaculum & causam occasionalem esse inquit. Et Hippocrates libr. de flatibus aëris necessitatem demonstrat, à cibo & potu inquit omnibusque aliis operibus aliquando immunes quiescunt homines, ab æeris vero usu nunquam vacant; ubi enim nulla ejus respiratio, ibi nulla vita; plura de hisce legi merentur in libr. epid. 3. Hippocrat. & dissert. de Peste à Doct. Schelhamero

Helmstadii habita. Plempius cum Sennerto seminarium Pestis primitus in aëre existere & generari confitetur. Diemerbrockius venenum pestilens valde occultum & incognitum esse, aërem tamen suis inquinamentis causam fovere animo reputat. Sed unde labes illa venenata emerferit, se nescire apertè confitetur. In Scenam produco Waldschmidium & Sydenhamium. Prior venenum pestilentielle à telluris gremio vel extraordinario solis calore, vel prævio terræ motu, sub minutissimarum atomorum forma ad superficiem usque attolli, in sublime rapi, & intra poros aëris receptum, longè lateque distribui scribit: posterior aërem pestilentiae causam occasionalem esse luculenter & sedulò indagavit; At vero quæ qualisque sit illa aëris dispositio, à qua morbi-
 ficus hic apparatus promanat, se nescire simul indigitat. Si consulamus Dolæum & Ettmüllerum & Riverium, aërem esse causam morborum malignorum ejusque gremio residere labem venenatam solliciti inquisitores docuerunt. Quem aërem verò totum infectum non intelligendum esse Celeberr. Craanen in suis observ. p. m. 375. asserit, quoad partes saltem, seu spicula quædam hac vel illac per aëra volitantia, quæ ut venenata, sicut non in omnibus pestibus ejusdem naturæ, sic hos humores obruere, seu inficere, alios liberos sinere statuit.

Sed

Sed magis sollicitè inquirere placebit, quomodo aër, ut principium vitale, per se nobis quoque nocivus esse valet; hæc ut rûspando clara reddantur, inquam aërem per se existere noxium, si sanguinem nimiam mole & gravitate infestet, utrumque enim tum motum sufflaminat, ne dicam conturbat. Per venam aër etiam levi afflatu sanguini admissus, efficit, ut presso mors sequatur pede. Noxius porrò existit, dum auster ejus indolem aliquantulum immutat, longius enim spirans, Bombyces in vitæ periculum protrudit & fervendo eos contabescere facit. Quid dicam de genere humano? sub ejus enim fervore in Cachexiam, Maniam & hæmorrhagias incidere solent multi, Phthisi quoque afflicti eodem maximè debilitantur: æstu sic continuante aër in auras abire Spiritus animales seu succum nervosum cogit, quod serosum consumit, partes acuit salinas motu, & mixturam massam sanguineam sæpius turbat; hinc febris Ephemera Catarrhalis & ardentis quotidianum documentum. Sic prægressa æstate febris catarrhalis epidemica popularis per totam hanc urbem, adeo ut penè inter millia hominum vix decem pepercerit, pervagata est: hinc quoque in calidioribus plagis incolæ diarrhæam, dysenteriâ, appetitu prostratâ, febre lentâ, febrê acutâ conqueruntur: quæ sæpè surgunt spontaneo motu, aut nunquam deficient aut sæpius redeunt. Tempestate humida aër

B 5 existit

existit maximoperè nocivus , Massam sanguineam nimis partibus humidis imprægnando , de pandiculationibus , dolore capitis gravativo, febre catarrhali , Coryza & similibus conqueruntur. Aër à partibus inimicis è terræ gremio exaltatis , & sinu receptis suo , miro modo suam Tyrannidem exercet. Sic

De Causis
procatarrh-
eticis.

folius Sulphuris adusti halitu in tantum tinctus , nonnisi animantibus periculum minatur : & bituminis accensi effluvia , ob vim narcoticam omnia incautius accedentia animantia infestat. Metallorum fossiores à vaporibus delitescens ibidem Cobalti, aliisque impurioris Sulphuris vel Antimonii vel Mercurii sæpenumero sibi accelerarunt mortem. A carbonibus fossilibus, igni exstruendo necessariis, aër Londin. tabidis est exitialis. Insalubris aër ab animalculorum copia scil. serpentum & cicadarum exsuscitari potest, de quibus ideò scribit Cicero de Nat. Deorum. Ibes avertere Pestem ab Ægypto. Ut Corvos ab Anglia referente Balonio l. 6. de avibus c. 1. comedentes quoscumlibet piscium cadavera in littus projecta. Ex vaporum venenatorum communicatione, cujusmodi erant halitus arcæ illius vetustissimæ, quæ in Templo Apollinis aperta, à Babylonia ad Parthos usque Pestilentiam sævissimam diffundit. Tum ille, quem ex angusto foramine eduxerunt milites in

Se-

Seleucia, à quo gravissima Pests orta est. Ex fossiarum apertione depravatus existit aër, qualem prope Neapolim commemorat Arnoldus de Villa nova, serpentibus innumeris erumpentibus. Ventorum libertas, quam compescuisse ferunt Empedoclem Agrigentinum, occluso pellibus asininis spatio inter duos montes patente, quo venti venenati in planiciem ferebantur. Ex stagnorum, lacuum & paludum terra exhalatione inquinatur aër, quemadmodum in & extra Pomœria Hassniensia annotari licet, ubi stercore homines fere suffocantur, quæ tum infensior, cum præcessit ambientis caliditas, uti in ea Pestilentia, quæ Athenienses invasit à Thucidide descripta. Ex defunctorum & trucidatorum in prælio inhumatis corporibus, ac diutius sub dio relictis, noxius ita præparatur aër, ut lues concitetur epidemica, uti ex tot stragibus Polonia, Muscowa & Swechia non ita pridem, & ex nuperrima suscitata Peste observari licuit. A multis ædibus recens sub Sirio exstructis, aër ita inquinari potest, ut ad luem excitandam epidemicam planè fiat pronus. Ab aëre sulphureo narcotico in via Puteolana haud longè Neapoli distante, ii, qui moras ibidem nectunt, vim lethiferam cum mortis periculo, quam sæpissimè experiuntur, qui, si passibus quadraginta circiter hinc distantem ad Lacum Agnanum deferantur, aëris novi beneficio & vitam & vires recuperant novas.

Ne

Ne autem enarratione causarum proca-
 tarcticarum diversarum in immensum crescat
 opus, neque lectoris patientiâ abuti videar, in
 fasciculum quoad fieri potest, veniam dabunt,
 si omnes jam recensitas, & adhuc recensendas
 colligam: sive enim inquinatur aër ab aquis
 stagnantibus corruptis, Cloacis publicis, qui-
 bus totius civitatis immundities colligitur, fœ-
 tidis cadaverum non sepultorum, bestiarum cu-
 juscunque sint generis exhalationibus, quod in-
 terdum post cruenta bella, crudelesque strages
 fieri consuevit: aut exhalationibus variis secun-
 dum individuorum temperiem mixtis & tem-
 peratis spissæ multitudinis in numerosiori,
 quemadmodum de Constantinopoli, Cairo,
 Roma, Venetiis, Vienna, Londino scribunt,
 aut quandoque ab instructa benè navi bellica
 accidit, aut ex vaporibus, qui maceratione fœti-
 di lini, Cannabis in aquis stagnantibus, spurci-
 tie Macelli publici, fœtida piscium congerie, su-
 perfluiditatibus Coriariorum exaltantur. Aut
 si cadavera à febre maligna & Pestilenti jugula-
 ta, per nonnullos dies inhumata relinquuntur,
 illis venenatis exhalationibus in vicinia habi-
 tantes inficiantur necesse est, ut contagium non
 solum exciretur, sed virus suum longè latèque
 spargat, adeò ut ex febre Petechiali febris pesti-
 lens, ex eâ Pestis, & ex Peste demum Pestilentia
 suscitetur, uti Hassniæ accidebat: aut quando mul-

multa loca publica propè templa in urbe popu-
losa ad cadavera terræ tradenda concedantur,
eaque non in satis profundè tumulis æstatis
tempore subfossis strata super strata condantur:
aut si sub primo ortu febris pestilentis, eâ corre-
pti, à sanis non separantur, cum istis una domo ut
cohabitantes præcluduntur & vinculis quasi te-
nentur, alimonia necessaria privantur, præfer-
vantia ac conservantia remedia plane iis subtra-
huntur, necessariò sequitur, ut omnes & singuli
ista venenata plagâ corripiantur, conjuncta &
constrictâ duntaxat conversatione. Qui tum
omnes peste extincti per nonnullos dies, præci-
puè æstatis tempore, & non sudante cœlo sub
dio relictî inhumati de se spargunt & expirant
venenatos vapores, qui cum feriant vicinos ci-
ves, eos ista labe infestant h. e. miasmata exspi-
rata eorum turbant sanguinem & spiritus, qui i-
terum perseverante morbo adstantibus, sua con-
tagiosa miasmata ad ista recipienda analogis, af-
flando participant: aut si naturæ vinculo soluti
accedentibus fermentatione & putrefactione
cadaveribus suborta, exaltatis dehinc venenatis
atomis inquinando aërem communicantur,
unde contagii amplificatio coëxistit, & ab uno
infecto hoc modo, multa hominum millia con-
tagio affliguntur; sic ex pulice Elephas, & uni
tumulo multa millia adjunguntur. Quid di-
cam de terræ motu è cryptis, à multorum & va-
rii

rii generis combinatorum, & se invicem irretitorum mineralium, metallorum exaltatis vaporibus? isti certè mirum in modum aërem inquinant. Neque tempore abutar in describenda causa putredinis & corruptionis humorum, ex qua nasci febres malignas & pestilentes, Rodericus à Fonseca, Eustachius Rudius, Massaria, Fracastorius, Augenius & Timæus à Guldene autumant, quibus autem Plempius sententiam tenet contrariam: Si pestilens aër, inquit, per putredinem agat, pestes communes & promiscuæ omni animantium generi essent, & nunquam particulares & speciales, æque enim in omnia putredinem inferret. Neque commemorabo sententias, quas Franc. Joel Oper. Med. Tom. 5. Sect. 5, de sordidâ putrescente humorum in corpore colluvie, ut veram accusans causam pronunciat. Nec in medium afferam, quæ Langius de spiritu fracido somniavit, per terminum fracidum idem intelligit ac de statu suo exire, degenerare, atque omnino corrumpi; hinc Author iste per spiritum fracidum miasmata verminosa à spiritu pestifero & maligno, à gravi cadaverum putredine in actum deducto progenita intelligit, quæ sive inspirationis medio attracta, sive per cutis spiracula admissa virus ad Tyrannidem suam exercendam per intimas corporis nostri fibras atque recessus spargente, iisque insensibiliter se insinuare, atque sic ho-

mi-

minem horrendis symptomatum paroxismis ad ultimum vitæ terminum excruciare arbitratur, quibus consentire videntur Arnoldus Senguerdus, Plempius & Kircherus, qui pestem esse innumerabiles vermiculos, insensibiliter per aërem, instar atomorum volitantes, tenacitatem & visciditatem habentes, quâ facilè aliis adhærescunt, statuere gestiunt. Præmittam tandem quæ de victus penuria apud observatores occurrunt. Sic in Massiliensi quondam obsidione ex esu frumentorum, vetustate marcidorum pestem introductam fuisse, ex Julio Cæsare libr. 2. de bello civili. Joh. Langius Epist. Med. II. p. 594. narrat, Exercitum Cæsaris Germanicum, cum ex putri fonte aquam mineras redolentem hausisset, pestilentia veneno contaminatum fuisse ab eodem docemur. Sævam invasisse pestem Xerxis exercitum eandem ob victus penuriam scribit Herodotus libr. 8. & spectabilis est Plutarchi locus l. 8. Sympos. quæst. 9. unde vulgatum Hesichii adagium *λοιμος μετα λιμόν*, Pestis post famem: ex pravis & insuetis, ut felibus, canibus, gliribus, ex semiputridis leguminibus aut inquinatis frugibus, vel ex aquæ infectæ putrisque cerevisiæ potu, quibus pauperes & milites propter victus penuriam & annonam sæpius uti adstricti, pestilentiam sæpenumerò inductam fuisse legimus. Quod attinet ea, quæ de corporibus putrefactis, & in altum sublatis vapo-

vapo-

vaporibus terræ motu excitatis, à mineralibus, & metallis exspiratis pronunciata exinde maximum pestilentiaë momentum, & incrementum nasci, autumem, quippe cum miram ab istis peregrinis seu heterogeneis diathesin adipiscitur aër, constante præcipuè certa tempestate. Tantum vero abest, ut ista heterogenea ad excitandam pestem semper sint apta nata, ut potius, si non satis volatilia, determinata, determinatumque trajiciant ætherem, vis eorum ad istud virus suscitandum sit frustranea, planèque enervata.

Quo denique quæ supernaturales & præternaturales spectantia causas seriatim paucis attingam: Sic à vermibus febres malignas fuisse inductas docent observatores, conf. Theoph. Bonet. in Anat. pract. libr. de febr. p. 1491. Quantum ad supernaturales, Pestem ex præcepto divino in mundum immitti inquit Diemerbroeckius, quod etiam Hippocrates suo tempore innuit, Pestem τὸ θεῖον ἴσθαι continere. Poeseos parens Homerus immissam Græcis pestem cœlitus ut θεήλατον, canit libr. Iliad. ob raptam ab Achille Chriseidem, quæ prius inter canes, deinde per homines grassaretur. Titus Livius Patavinus suo tempore immissam ex ira divina Pestem cum Plinio, aliisque scribit Decad. 1. l. 5. Ex coet. Christianorùm quis non calleat? Deum tanquam summum vitæ, necisque arbitrum Pestilen-

stilen-

stilentiaæ sævitiâ delictorum nostrorum gravitatem sæpius plectere, quemadmodum Sacri Codicis plurima Exempla id loqvuntur, conf. Exod. c. 5. v. 3. & c. 9. v. 15. percutiam te & Populum tuum peste, & peribis de terra, confer Exod. II. v. 4. 5. 6. & cap. 12. v. 23. 29. 30. Sic Israëlitæ percussi ob Regis peccatum 2. Sam. 24. v. 15. Milites Sennacheribi, 2. Reg. 19. v. 35. Judæi Es. 5. 14. Sidonii Ezech. 28. v. 23. Corinthii I. Cor. II. v. 30. Unde Doct. Brochmannus supra citat. VI. Causas Pestis & Pestilentiaæ allegat, 1) Verbi Dei contumacem contemptum 2) neglectam justitiæ administrationem. 3.) Superbiam Regum & Subditorum. 4) Rebelliones in Magistratum. 5) Vagas libidines. 6) abusum S. Cœnæ. Hinc Deus in Verbo suo tria horrenda flagella ostendit peccatoribus contumacibus: Pestem vel Pestilentiam, Bellum, Famem, & Notâ Gratiaæ suæ pœnitentes plagis istis liberat. Ezech. 9. v. 4. Ægyptii & Babylonii olim Astro-nomi, quos exceperunt mox Arabes nugivenduli, ex alto pestilentiaæ vim derivârunt, & astra pro diversâ eorum conjunctione inclementius sæpius accusarunt; Sic â faustis constellationibus faustos, & â malignis malignos procedere effluxus, Plinius & Galenus docuêre, quos sequuntur Albertus Magnus, Albamazar, Fernellius, Unzerus, Langius & Helmontius pluresque alii, magna catervâ portentosis vocibus profanum vulgus decipere contendentes. Verum enim

C

enim verò procul absint Astrologi à Medicorum Sacris. Quod supra nos, hoc modo nihil ad nos, olim rectè inquiebat Socrates. Cum Aristotele dicam, aliud est Astronomis credere, aliud astrorum influentiis decipi, quæ non modò dubiis, sed falsissimis innituntur Principiis. Nolo tamen Lunam hic ab omni effectu in hæc inferiora excludere, præsertim cum observatione aliorum probatissimorum virorum satis fida constet, Phases lunæ ad Pestis & Pestil. exacerbationem multum valuisse; Experientia mea probare, præterito nostro morbo contagioso Pestilenti ultra tres centum mulieres abortum circa novi- & plenilunium esse passas haud erubesco. Decrescentem Lunam nostris mulieribus & virginibus tempore Pestis eâ invasionè & oppressione insidias struxisse maximè conclamandas istarum strages summæ lugebundæ loquuntur: Quin & me non à veritate aberrare, sed potius exemplis fide dignis satisfacere credas, primis tribus mensibus, Junio, Julio & Augusto, maximam emortuorum partem è sexu fuisse sequiori. Quæ hujus farinae restant ferie complectendo paucis pronuntiare placet. Sic duobus tribusve diebus antè & post novilunium mulieres abortas esse, & quæ Veneri litârunt tum Pestis tempore, haud aufugisse virus, quin potius Cymba Charontis ad elysæos migrasse campos Diemerbrock & Paræus annotarunt.

runt.

runt. Multi nostrorum Cives Hafnienses uxoribus suis svasu meo tributum retinuerunt conjugale per totum pestis curriculum, omnesque eos hodierno die sospites ac incolumes esse sanctè testor. Secundum Quercetani confessionem, sub decreſcente luna Senes & vetulas, Plethoricos & Juvenes autem circa plenilunium interiisse.

Coronidis loco è re duco quædam de animi passionibus & certa anni tempestate quoque in medium proferre. Magna certè seges, de passionum efficacia adduci potest, sed vereor, ne lectori perlegendo nauseam, mihi ipsi verò scribendo tædium creem, præsertim cum passim apud Auctores præcipuè in Rivini Tract. de Peste vera & horrenda Exempla annotata videmus. Quò autem veritati consulere videar, brevibus eruerè audeo, quâ ratione animi commotiones, his vel illis individuis, iis indulgentibus & immerſis, disponendo eorum sanguinem & Spiritus animales ad suscipienda miasmata pestifera seu maligna, Pestem & Pestilentiam citius & severius inferre queant: Pleno nimirum agmine circumſilientibus miasmatis causâ existente occasionali determinata, homines si constanter imaginationi, metui, terrori, indulgeant, uti Sexui sequiori est commune, qui nuperrima

De animi
Passionum
efficacia.

nostra Peste præteritâ passionum efficaciam summo damno percepit, eorumque indulgentiam strage luit crudelissima, facillimo negotio fluida corporis ita præparant, ut virus summo cum vitæ periculo irrepando se turbent summamque projiciant in perniciem correptos. Et quemadmodum animi mores sequuntur corporis temperamentum, & corporis temperamentum quoque ab animi commotionibus iterum dependet: ita secundum virus activitatem, fluidorum mixtionem & motum, citius vel tardius animi passionibus indulgentes corripiantur necesse est.

Sic novi multos Hypochondriacos, qui Pestis tempore continuo metu, uti iis proprium, occupatos, licet sese infectis exposuerint locis, cum infectis conversari neutiquam exigente munere quo fungi eos visitandos coacti detrectarint, nihilominus tamen ab omni infectione liberi & salvi manserunt, & hodierno die vegeti & sani vitam agunt. Multos è contra biliosos & sanguineos, terrore elatorum, peste extinctorum solo intuitu aut ambulatione domos præter infectas perculsos, è vestigio peste correptos, deinde exspirasse diris Symptomatis, convulsionibus & deliriis annotavi. Sic duæ Sorores ex nobili stirpè admodum formosæ per fenestras, exinopinatò curru prætervectorum peste jugulatorum, è cisternis capita nuda liberè pro-

pro-

propendentia cum aspicerent, terrore tum percussæ presso pede corripiebantur ambæ simul peste, sororio vinculo quoque uno die simul fati cessere. Cerevisiarum Decoctor, Civis fama & pietatê deprædicandus, cum præ metu omni conversatione abstineret, nullique aditum præter me & suam uxorem concederet, quam deinceps cum unica sua filiola extra urbis pomeria Fratri suo in vico plus quam octo millia-ria distar te habitanti concrederet, iste cum fama increbuisse, ambas suas sorores peste graviter decumbere, amore erga alteram earum allectus per fenestram in Platea stans apertam alloquebatur. Hoc factô domum revertens, pestis veneno tactus, de insigni mox capitis dolore & præcordiorum anxietate conquerebatur; ego accersitus, eum ut Scorbuticum non evasurum augurabar, & tertio die vitam cum morte mutabat. Secundo post obitum ejus die, filiola quoque extincta peste sequebatur, uxor autem ejus salva & libera remanebat. Ambæ Sorores Cerevisiarum hujus Decoctoris peste extincti, quarum mares quoque periêre lue pestiferâ, sanitati feliciter à me sunt restitutæ, ad secunda accedunt hoc anno vota vegetæque existunt. Duæ Matronæ curru prætervehendo Domum infectam, fortuito fenestra apertâ, Cadaver nuper exanimatum peste mensæque superpositum cum intuerentur, formidine hoc aspectu percussæ, do-

C 3

mum

mum revertentes & Peste correptæ de cardialgia enormi, somno profundo, & dolore lumborum querelas ducebant, tertio die, una earum fati cedebat, altera evadens, sana ac vegeta inter vivos degit. Duo Cives Hafnienses, alter coriarius, alter sutor, in metum ita compulsi ex cadaverum sepeliendorum aspectu erant, ut ex eo & peste adortâ quarto die ambo fati cederent.

Sonus campanarum Mercatori famigeratissimo in plateis obambulanti tantam incussit formidinem, ut Peste correptus bubone intra fauces ortô quarto die extingueretur.

Mercator linarius emtoribus mercedes suas venditando, ex improvise intuitu peste sublatis cadaveris tantô perculsus terrorê, ut è vestigio tactus venenato morbo lectum petere cogeretur, bubonibus & carbunculis enormiter cruciatus, Dei gratia tamen & mea consultatione sanitatem tandem recuperavit suam.

Ancillarum, virginum, & puerorum, Mense Julio, Augusto & Septemb. metu & terrore magna peste correpta periit copia, adeò ut secundum relata & annotata, in his dictis tribus Mensibus, ultra viginti millia virginum, ancillarum, & puerorum, ex quibus plurimi animi passionibus mortem accelerarunt, numerentur.

Mul-

Multi ex solo intuitu præterambulantium Sacerdotum & Chirurgorum, peste sunt correpti, eaque oppressi.

Judæus habitans loco publico sic dicto Wasser-Kunst / excurrendo in urbem palliò os involvebat, atque ab omnibus sibi obviam factis procul distabat, tandem ex formidine & metu constanti, quâ totus occupatus, per totius mensis spatium Camerâ ab omnibus domesticis præter Uxorem separatus, solitudinem & vitam sedentariam sectabatur: accidebat autem in puncto, quod ab eo in Anno non sperabatur. Judæus alius, loco ab infecto revertens, quo 6. vel 8. infecti una domo extra mania à tota cohorte Judæorum tam alimoniis quam Medicamentis sustinebantur, ut nuntius, quomodo isti se haberent, ei referebat, hoc audito tanto percelleretur metu & terrorè, ut expressis verbis pronuntiaret: Gott bessere mich / nun bin ich auch dran / elapsis tribus diebus, petechiis & vibicibus ardens supremum obiit diem: præteritis tribus septimanis, ejus uxorem pestis quoque invasit, ad quam accersitus, explorando morbi faciem sub axillis bubones, & in medio pectore carbunculum inveni; bubones sub eruptione atrocissimos, uti omnes axillares bubones, movebant dolores, adeò ut sæpenumero ingruerent convulsiones & deliria. Passione

C 4

hyste-

hysterica, quâ tempore salubriore affecta interpolatis vicibus affligebatur, tandem morbo palmas præripiebat, & sanie bubonibus in maturis educta, feliciter sanitati restituebatur. Plura annotata & scriniis meis recondita exempla adjungere potuerim, nisi temporis & aliorum conditio negotiorum me interturbasset: dixisse jam sufficet, quod animi commotionibus indulgentes tantò severius & celerius peste sint correpti, quantò magis animi affectibus morem gessere habenasque vis axâre.

Multi honorandæ conditionis ex metu & imaginatione extra munimenta se recipientes, tamdiu aëri rusticano se committebant, quamdiu Pestis intra muros bellum exerceret suum: hostis autem ille infensissimus, quamprimum aëris mutationem subierint, vindictam suam in eos acceleratione mortis lugebundo exferebat eventu.

Quò coeptam telam finiam, paucis indigitare placet, ex imaginatione ideò in genere humano tot luctuosæ & mirabiles historiae, ne dicam tragediæ observantur, quia mens nostra circa ejusmodi morbos crudeles, festinatimque agentes constanter hærens, eosque repetitis vicibus contemplans, adeò constantem horum imprimis ideam, ut ex hac solâ iterata coete-

ris

ris spiritibus tandem certo modo afficiatur, sanguis sic & spiritus animales disponantur necesse est, ut data morbi pessimi causâ occasionali determinata miasmata intus recipiantur, morboque contagioso corripiantur, sequatur. A metu & terrore sanguis ita disponitur & præparatur, Spiritus animales ita concutiuntur, ut turbatâ spirituum elasticitate, eâque aut nimis suppressâ, aut minus exaltata, facillimo negotio lues pestifera iis affricari possit. Utrum autem nullis accedentibus miasmatis pestiferis, solo terrore, metu & imaginatione, ut Riverius statuere satagit, totis licet velis expansis iis passionibus sint dediti, morbo contagioso pestifero corripiri possint, difficillimum, ne dicam impossibile est conceptu: absentibus enim causis procatarticticis, deficiente sic veneno pestifero, licet in æternum spiritibus aliis circa istos morbos contemplando hæreant, vestigiaque profundissimè conario licet sint impressa, constantissimus Spiritus animalium subsequutus influxus minimè ejusmodi turbatio sanguinis excitari potest, qua insigniri valeat in fluidis coexistisse miasma pestiferum, multo minus Pestem adesse.

Quod certas anni tempe-
states attinet, Medico incumbat,
ut circumspectè eas inquireat,
quippe cum observatum, variâ inconstanti
tem-

De certis anni tempestatibus,

C 5

tem-

tempestate nullis aliis cognitis intervenientibus causis procatarteticis tam vere quam autumno, variolas malignas, morbillos malignos & petechias emerfisse Sydenh. p. 84. l. 1. de Pestil. tunc temporis furiente conqueritur, quod australis temporum constitutio ejus præcipua fuerit causa: auster sanè miro tepore humidus inquit, per deserta Lybiae spirans, veneniferis animalibus refertus multis noxam induxit. Ver & æstatem esse aptissimum tempus, huic gignendæ p. 124 asserit. Si hyems sicca & aquilonia fuerit, ver verò pluviosum & australe, necesse æstate febres acutas fieri ophthalmicas & dysentericas inquit Hippocrates libr. 3. Epid. & Aphorism. II. Sect. 3. Quod duo triave tempora mutata, aut etiam totus annus calidus, humidusque fuerit, ingentem successuram pestilentiam, idem Hippocrates docet: & Galenus libr. I de Temperam. c. 4. Carbunculosque plurimos tunc natos fuisse dictator commemorat. Epidemium morbum à vehementi tempestatum mutatione suboriri, omnes docent Medici, hinc fiat ut Pestilentia gravior evadat è Regione putridis expirationibus infecta, quam in sicca & pura, rursusque gravior æstate quam hyeme, & austrina tempestate quam aquilonia, & inæquali intemperatòque cœlo quam æquali & temperato. In Summa, gravior fit Pestilentia, quæ epidemiis aut endemiis constitutionibus permiscetur, quam quæ pura, solaq;

con-

consistit, quod dilucidè præteritâ hujus loci Pe-
ste apud ægrotantes eâ affectos, sub nostro Cli-
mate, salibus fixis & putridis partibus maximè
impuro ob morbum endemium, hinc semper
familiarem, pesti commistum annotare licuit.
Quare omnes labe scorbuticâ detenti, Peste
correpti, horrenda Symptomata experiebantur,
aut, quod maximè contingebat, exstingue-
bantur. Aërem levem magis concurrere ad
Pestem fovendam, quam crassum & nebulo-
sum, Plempius affirmare audet, quô consiliô
addit, quod in Æthiopia, Italia, Hispania, Pe-
stilentia virus suum spargat. Æstu immode-
rato excandescere Pestem & Pestilentiam gra-
viusque affligere. Hinc Mense Julio & Au-
gusto morbi statum esse, sævitiamque crudeli-
ter exserere suam Observatores docent: hinc
calidiores aëris ambientis status, maximè cir-
ca canis ortum contingunt, inquit Galenus l. 4.
de Febr. In fine æstatis & tempore autumnali
corpora ad excipienda miasmata pestifera ma-
ximè prona esse, ob exhaustas æstatis calore vi-
res statuere audeo: quod ex præterito morbo
contagioso pestifero colligere licuit. Divi-
nus senex Aphorism. 9. Sect. 3. ita dictitavit:
in autumno morbi acutissimi & omnium mor-
tiferi: autumnus exinde libitinæ quæstus acer-
bæ cognominatus est. Austrina tempestate
anni præteriti & quidem in mense Junio Fe-
bribus Catarrhalibus omnes ferè incolæ totius
Urbis

Urbis hujus populosa corripiebantur. Hostiâ autem in multis tum temporis Urbibus ple-
rosque habitatores pestis invasit, ad finem us-
que anni ferè crudeliter sæviens. Hisce pa-
tescit, determinatam esse debere causam occa-
sionalem. Austrino quoque temporè putris
gignitur humor, qui ora facit aphthosa neque
pestifera, quia non habent τὸ θερμὸν πολέμιον
καὶ κτῆνον σηπιδονῶδες ex Hippocrat. in Coac.
prænot. l. 3. c. 2. in quo consistit Pestilentia Ca-
racterismus. Interdum Pestilentia hyeme ini-
tium cepit, quæ tum æstate media vel autumno
soluta iterum est.

Quomodo
Pestilentia
probabili-
ter excita-
tur

Ansam ad intricatissimas Pe-
stis & Pestilentia causas ruspandas
& deducendas mihi datam cum
quantum humeri tulerunt mei, e-
xeqvutus. Impræsentiarum igitur
si commemorem, quomodo Pestilentia, ut ho-
stis furibundus, suscitatur, me nullum commit-
tere crimen arbitror. Pestilentia verò aut præ-
gressis antea recensitis causis procatarteticis in-
gruit, aut pestem subsequitur sævientem: Deus
enim ut naturæ & ordinis conservator, cujus
nutu omnia, quæ in toto rerum orbe peragun-
tur, sic disposuit, ut ad opera destinata, certo
quodam ordine atque se accingant methodo
omnia, quanquam multa existunt, quæ captum
superent nostrum. Quomodo jam Pestis in Pe-
stilen-

stilentiam transmutari potest, in antecedentibus demonstratum dedimus, quin & quomodo ex febribus malignis, ut Petechiali & febre Hungarica, modò ex mala & peregrina aëri impressa, & ad constituenda miasmata pestifera apta nata labe suboriri neminem non concessurum, cum mutata mutanda, & determinata determinanda causa occasionali confido. Pestilentiam aut ex antea dictis causis procatarteticis aut peste prægressa progigni firmo stabit talò: etenim cum præviis causis procatarteticis antea commemoratis multa coacervata extiterint in aëre inquinamenta, & vento austrino constanti, cum certa tempestate superveniente, effluvia ista peregrina, generique humano maximè inimica intra cancellos detinerentur, ob diversum heterogeneorum genium seu indolem trajiciente diverso velocissimo æthere, luctæ invicem conflictando oriantur oportet, quæ juxta naturæ leges constitui haud valent, nisi corpuscula ista inimica motu moveantur rotatorio, quâ ratione congressu & regressu, quæ angulosa & obtuso acumine, tandem in acinaces & enses abeant, & quæ prosapiæ nitrosæ cuspide erecta, sulphuræ alio modo, & sic indefinita ratione aliàs commoveri probabile est, quòque fundamento ex fixis volatilia & ex crassis acribus volatilia acerrima progignuntur. Quod si jam vario congressu heterogenearum particularum, earumque diversi

versi

versi ætheris coitione ac impetu tot luctæ, tot turbæ excitentur, accedat particularum peregrinarum diversa Sphæra, tot luctis vel majori copia vel constantiori motu in suum abrepta vorticem, cum ætherea materia adhuc in aëre immutata & nobis familiare congregitur, luctamque ineundo, eamque immutando in motum suum consentire facit, quapropter miasmata illa pestifera copiosa & diffusa existunt. Si autem novus denuò nobis amicus accedat æther, ingentiori copiâ & motu constantiori, colluctando cum peregrino, tandem in suum iterum motum seu spheram consentire devincit, aut si ventis saniora & magis nobis familiaria coacervata afferantur effluvia, quibus peregrina in aëre hærentia immutantur, & alterantur, imo dissipantur, victas porrigit manus, poris sic tum distortis Pestilentia tandem virus à sua ferocia remittit. Ex hoc fundamento demonstratum venit, quâ ratione in certum distans suam exferat Pestilentia malignitatem.

Quomodo miasmata pestifera contagiosa seu adhærentia esse possint?

Qua ratione jam miasmata maligna, contagiosa materiis nonnullis inferri, illisque inherere possint, ex hoc fieri fundamento mihi persuadeo: diximus enim in antecedentibus, miasmata illa pestifera coagmentata suspicari ex multivariis & diversi moris effluviis licet, quæ cum varia, imo
 infi-

infinita sint censenda, ità probabiliter ex istis esse quædam, quæ etsi sint maximè volatilia visumque effugientia, hamata tamen & inter se perplicata appellari debere duco, quorum exilibus compedibus spicula illa subtilissima retinentur, & materia ætherea per totidem subtilissimos eorum poros transfretans rotansque ibidem continetur, sicque illa miasmata ob volubilitatem & velocitatem suam contagiosa determinatis subjectis communicari & affricari possunt, de quibus plura in sequentibus: quapropter ob particulas hamatas, dum illa miasmata volatilia & acria rebus se insinuant, facilè adhærere & tamdiu ibi hospitari me persuasum teneo, donec qua datâ causâ occasionali & inimico æthere compedibus exsoluto, miasmata proximum sibi obvium petunt subjectum animatum, tributum, turbando & dissolvendo fluida, interruptâ poscunt morâ. Hoc expalescit, dum certis temporibus materiæ inhærent quietam miasmata, ac si planè inefficacia reddita, ex inopinato autem homines temperiè appropriatos incendio flagrant suo, sæpiusque extinguunt: hinc rectissimè Dan. Sennertus de Pestilentia contagio dicit, per 24 dierum spatium delitescere posse, & in vestibus instar fomitis morari, donec accedente causa accidentali exspiret, insinuando proximos invadit, & incautos occidit. Urbs Amstelodamensis ante annos circiter quadraginta quinque, Peste infecta

fecta est à navibus duabus Smirnâ, Asiæ minoris emporio, peste tunc infecto advenientibus, quæ tamen duos per menses mare transfretarant. In quadam domo Pestem ex telis aranearum, quibus ante sex Menses Contagium hæserat, casu iterum excussis, sævire cepisse memoriam me legisse revoco. Trincavel. cons. l. 3. p. 360. scribit, quod funibus, quibus cadavera Peste extincta sepulchris illata fuerunt, per triginta annos delitescantibus & casu remotis, tantum brevi illatum fuerit contagium, ut decem millia hominum sint absumpta. Diemerbrock. recenset historiam, tract. de Peste p. 351. Viri nobilis, qui ab obitu sororis tres menses circumtulit contagium.

Sic novi Scriniarii uxorem, quæ post obitum mariti peste extincti, in eodem lecto & iisdem tegumentis, quibus nimirum maritus peste oppressus per quatuor hebdomadas somnum noctu sine ulla infectione trahebat, iis autem peractis Ancillæ suæ lenociniis tam diu, ut secum istud peteret lectum, abblandiebatur, donec morem gereret matrifamilias, quæ ancilla à præterlapsis duabus noctibus quietem istam non solum peste, sed & morte, absolutis sex diebus, luebat, quam postea ejus materfamilias cum tribus liberis, una puella & duobus pueris peste infectis sequebatur. Sic fomite pestifero in vestimentis meis, quibus per sex menses indutus ægrotos visita-

sita-

sitarem, delitescente, filiola mea unica, tres annos circiter nata, cum quovis ista mane suffimigiis fumigarentur, hoc adspiciendum amoris & suffimigii studio allecta, & me inscio cum vestimenta & capillitia apportare mense Septembris anniteretur, altero die Peste corripiebatur, quâ inflammata quarto die vitam cum morte mutabat.

Nulla dari certa ac determinata Pestis & Pestilentia signa, nec ullam ex iis Pathognomicorum Syndromen esse possibilem Medicorum Schola docet. In quolibet individuo secundum temperiem peste correptò variasse symptomata nuperrimè accuratè observavi, quin & omnia Symptomata statu integro eos affligere solita, ut ut toridem crabrones irritatos iis supervenisse, & luctuosò modo eos simul cruciassè sanctè testor: Sic v. g. omnes hystericæ Peste tactæ passionem istam enormiter sunt expertæ: Et omnes Viri Colicâ, stranguriâ, dysuriâ, nephritide verâ, statu sano affligi assueti, Peste tum temporis oppressi, ista Symptomata, uti Angues ex herba profilientes, modò persenserunt atrocissimò. Omnibus Asthmaticis, Pestè decumbentibus, diro modo istud exacerbatum fuisse sedulò annotavi:

De signis Pestis & Pestilentia, eam venturam præfagientibus & præsentem com-monstrantibus.

D

Omnes

Omnes Phthificos , mense Septembri & Octobri pestē correptos, malō veteri & novo exspirasse observavi ; sine dubio ex ea causa, quia pori partium contraxerint ejusmodi dispositionem, ut facillimè à causa corrupta irritante irritari itaqueant, qua morbus exacerbetur. Ne Astrologorum fallaciis, præfagiisque adducendis, tempus conterere, multò minus eorum Chorō saltare videar, vertam me ad ea pensitanda, quæ observatu certiora , lectu digniora & acceptiora esse queunt. Sint itaque secundum observatorum sententias signa, Pestem & Pestilentiam præcipuè imminentem subindicantia. 1) Calida & humida totius anni constitutio. 2) Tempestatum mutatio, cum naturalem situm consuetumque non servant, ut si æstas pluviosa, autumnus sereno cœlo, hyems mollis & tepida. 3) Meridionales & occidentales venti. 4) crebra in aëre Phænomena insolita. 5) Aër tenebrosus & turbidus absque imbre præcipuè fine æstatis & autumnii. 6) Fungorum atque boletorum , eorumque noxiorum proventus. 7) Anonæ Caritas, quæ victum praviozem subindicat. 8) Numerus insectorum, ut erucarum, papilionum alborum, Mantasser/vermium & reptilium multitudo. 9) quadrupedum ac piscium, tum etiam avium interitus. 10) avium è nidis suis illic ova sua relinquentium præsagium. 11) Frequentes mulierum abortus iique ex levissima causa. 12)

Ex-

Exanthematum frequentia, ut variolæ & morbilli maligni moris, Petechiæ & dysenteria maligna, quæ non solum pueros, sed etiam adultos infestant: Sic præcedanea proxima hyeme subsequutæ Pestis Hafniensis, apud multos febre acuta decumbentes exanthemata, wie grosse Buchweizen Grücke/ per totum corpus diffusa, cum anxietate præcordiorum, cephalalgia insigni, inquietudine, pulsu modo æquali, modo inæquali, depresso & celeri observavi, & post aciem cruentam in Scania habitam, multi ex ea revertentes milites Petechias secum ducebant, quibus in Nosocomio Marino inservire ex mandato Regis obstrictus febre petechiali enormiter correptus & tantum non abreptus sum, quæque Febres Petechiales multas familias in Urbe nostra populosa cum funesto exitu, per duo annorum spatia invaserunt, multisque mille hominibus mortem intulerunt.

Propius ad scopum perveniendum instar filii ariadnæi & uti nautæ pixidem sequuntur suam, paucis expedire quoque sufficiet, si innuam varia sub larva, varioque schemate incedere & ludere Pestis & Pestilentia symptomata (uti antea erui) istaque innumerabilia, si cujuslibet individui peste correpti morbi scil. faciem pensitando erueremus, & diversa esse, corda-

Quomodo Pestis & Pestilentia distinctius sit judicanda?

datum quemlibet Medicum mecum confessorum confido. Ne autem Medicus in dignoscenda Peste errores committat, & à proletariis hominibus & vulgi fœce fama ejus arrodatur, ægri circumstantias probè & exactè contemplari nervos intendat: quippe cum quædam symptomata Pestis morbo occurrentia, aliis febribus malignis communissima dentur, quæ, uti sunt Cephalalgia, Vertigo, Scotomia, lumborum dolores, vomitus, & subitanea virium prostratio, ita si cum hisce recensitis pestis & pestilentia propria exanthemata, Bubones, anthraces, Pectechia, vibices, vesiculæ cœruleæ, & severiore imò celeriore impetu enarratorum symptomatum Febribus communissimorum malignis implicata à Medico advertentur, de morbo judicium infallax ferre haud erubescat: Quo si jam hisce recensitis symptomatis enormibus & propriis exanthematis, aër ex certis circumstantiis atmosphaericus nonnihil infectus annotetur adjunctus, de Pestilentia præsentia non amplius est dubitandum: deinde morborum antecedentium epidemiorum genesin, climatis genium, tempestatum mutationem, schema, quo se præsens lues epidemica sistit, sollicitius inquirere & contemplari medico incumbit: quandoque enim Pestilens Colica, Pleuritica, Hæmoptoica, Asthmatica, Dysenterica, Cardialgiaca, Anginosa, Peripneumo-

mo-

moniacæ, Phrenitica, ab Observatoribus annotata recensetur: Sine dubio, quia Symptomata ista pronuntiata præ aliis caput erexerunt, ac sanguis sic ebulliens labem venenatam iis partibus, quibus symptomata se se præ aliis manifestantia observata affrixit. Sternutatoriam Pestem Romæ seculo quinto post Christi nativitate observatam legimus, seu sternutatione furens contagium se prodidit. Peculiaribus Symptomatibus Anno Christi MDX. in omnes ferè Regiones, Galliam præcipuè, Pestis debacchata est cum summa capitis gravitate, unde nomen Coqueluche ipsi datum, cum præcordiorum angustia, tussi, hæmoptysi, delirio & insigni æstu plures jugulavit.

Pestem Venetam ac Patavinam anno 1575. furentem ita describit Mercurialis: morbi erant ardentes, & mites; tumores plerumque parvi, interdum majores. Carbunculi in omnibus corporis partibus, modo unus, modo plures, interdum maximi. Deliria, sopores, vigiliæ, tintus, jactationes, inappetentiæ, sitis, pulsus parvi & celeres præcipua erant symptomata. Sanguineæ stillæ è naribus, vomitus ciborum, egestiones crudæ foetentes & biliosæ. Vermes, Vultus erysipelaceus, cum maculis violaceis, rubris, modo paucis, modo pluribus, modo angustis, modo latis. Quibus mors frequentissimè successit, vix unquam superatò quinto die.

D 3

Nu-

Nupera Peste anni 1679. ab Hungaria Vien-
nam deportata, primum ægros febris fatigabat
ardentissima, hanc comitabatur vomitus, deinde
diarrhea, dolores & jactatio corporis animique,
quibus multus fluxit sudor, ii evasere. Bubones
deinde eruperunt, plerisque lethales.

In nostra nuperrima Peste sopores, verti-
gines, præcordiorum anxietates enormes, jacta-
tiones corporis, virium insignis prostratio, lum-
borum & Scapularum dolor atrocissimus, vomitus,
diarrhæa, dysenteria, sitis intensa, æstus in-
tolerabilis, multis phrenitis & deliria, animi
tristitia, præcipua erant symptomata. Bubones
inguinariï erant frequentissimi & securissimi.
Axillares cum atrocissimo dolore pluri-
mis eruperunt, multis erant exitiales, Parotides
in summum vitæ periculum ægrotantes protru-
debant, potissimum inferebant deliria. Car-
bunculi erant quoque frequentes: Vesiculæ ad-
huc frequentiores cæruleæ. Vibices apud mul-
tos magna erant copia; Petechiæ, præsertim re-
percussione Bubonum axillarium, cæruleæ,
imò & nigræ à me multoties cum ægri obitu an-
notatæ.

Probatum quod
causa Pestis &
Pestilentia,
quin etiam ali-

Mihi ad probandum, quod
causa Pestis & Pestilentia sit de-
terminata, accingenti vitio,
haud

haud vertatur, eâ de re persuasissimo. Hoc ut evidens reddam, requiri videntur. 1) Corpus quod communicat alteri, illud dico causas esse procatarticas, quæ ad miasmata progignenda momenta addunt sua. 2) quod communicat, est miasma ipsum cum aëre & peregrino æthere. 3) subjectum analogum, cui communicetur. 4) ratio quomodo communicatur, hoc dico, variis fieri modis. Sic Plempius dicit, eos facilius aliis contagio Pestilenti obnoxios esse, qui poris præditi cutis amplis, & qui post ingentiores corporis meatus copiosius inspirant. Nonnunquam per cutis poros seu ἀδηλον διαπνοήν effluvia exhalare, aut cum sudore effluere aliquando per pus & saniem è tumoribus effluentem subjectis communicari Sennertus persuasum habet.

orum morborum malignorum seu fomes eorum sit determinatus.

Subjecto igitur analogo, uti in antecedentibus jam jam innuimus, morbi maligni miasma qualicumque fiat modo, communicari non potest, quin mox eò ipso MSnea in orgasmum & turbationem cieatur, & spirituum animalium ataxia excitetur; Sic secundum miasmatis cohæSIONem, subjecti sanguinis aliorumque humorum nexum & ætheris utriusque resistentiam, hinc dependentem luctam, symptomata diversa plus minusve deteriora advertantur. Quod

si jam corpori analogo miasma communicetur pestiferum, (quod sæpè tantæ violentiæ & velocitatis esse Sennertus exprimere gestit, ut nonnullos statim ipso invasionis momento, repente occidat, aliisque intra brevissimum tempus vitæ filum abrumpat) quod & ego sæpenumerò observavi, è momento inquam sanguini turbam infert, & si ad minima ejus penetret, eorum vincula dissolvit, sic compedibus turba erretita æthereque sua elasticitate æquali aliquantisper exuto, turba idcirco severiori excitatâ, spirituum tam motus quam secretio insigniter impeditur & reliquis fluidis per partium mæandros meatibus idem deficit, unde ingens virium, sine manifesta causa dispendium seu jacturam persentiscimus. Interim fibræ à spiritibus prius tumultuantibus, deinde mox subsultantibus vim patiuntur & membra quasi ictibus concussa & lassata videntur: ægrotans, cum de re insolita sibi haud conscius, statum hunc exprimere aliter non valet, nisi præcordiorum inquietudine & angustia, quas sæpè Lipothymia excipiunt. Latex quemadmodum purpureus, cum ex multivariis congregatus particulis, quæ in quolibet individuo quodammodo inter se discrepant, fermentationes quoque variare debere in promptu erit: Ita parili modo, si subjectorum ratione ejus effectus contempletur, elucescet, quod tempore petechiarum & Pestis, imò & Pestilentiaë grassantis

juve-

juvenes & prægnautes inde læsi fuerint , adultiores contra viri & fenes immunes remanserint : quô consiliô Sennerti tempestivè monitum considerandum venit : quod nimirum inficitur & quod contagium recipit ? non enim agens in quodlibet agit, sed in dispositum, & sibi simile, ideoque in contagio etiam inter corpus contagiosum & quod contagium recipit, ac per id eundem morbum contrahit similitudo quædam reperitur, quæ est inter animalia ejusdem speciei & proprietatis, imò inter homines, non omnes ad quodlibet Pestis contagium recipiendum æque apti sunt. Sic Euagrius Hist. Eccles. libr. 4. c. 28. de Peste Antiochiana ita refert, quod certæ in ea familiæ prorsus interierint, salvis manentibus reliquis urbis incolis; quin & familias, quæ hoc anno integræ mansêre, sequenti eò morbo affectas esse. Et Cardanus libr. 8. de varietate rerum c. 4. Pestis Basiliensis mentionem facit, quâ soli Helvetii, non item Hispani, Itali aut Galli, eadem licet urbe viventes fuêre aspersi. Johann. Utenhovius in histor. peregr. Eccles. Angl. sub finem c. 4. scribit de peste quadam sævissima hic Hafniæ Anno 1553 grassante, à qua tamen omnes immunes mansêre, qui ex Anglia, Belgio, Germania, quamvis horum major numerus eò advenerant.

Sennertus refert Historiam de Du-
D 5 ce

ce fide dignam, postquam cum exercitu suo Germano Cremonæ divertisset, ubi Pestis sæviens fuerit debacchata, quatuor Medici tum extincti fuere, emanentibus salvis militibus. Mirum quibusdam videtur contagium inter boves, ut Anno 1514, aut equos, ut Anno 1662, aut canes aut oves aut gallinas inficere, quod hominem non inquinet, aut aliam animatam speciem.

*Quam multa pecudum Pestes nec singula morbi,
Corpora corripunt. Inquit Virgilius.*

His satisfacit Hippocrates ἀσὴρ καὶ Φῶς ἰατρικῆς, corpus à corpore, naturam à natura, nutrimentum à nutrimento, analogiaque contagii alterius ab altera differre. Sic Fr. Pienus in sua Pestilentiarum Chronologia mentionem facit: Pestem anno 1660 per Germaniam grassantem, viros plerosque robustissimos, paucas mulieres, rarissimè demum pueros extinxisse. E contra Dionisius Halicarnassæus annotavit, Pestem Tarquinii temporibus grassantem, virgines magis & viduas, quam alios homines infestasse, Senes minimè sentire Pestilentiam author est Plinius. A certa determinata causâ occasionali hoc anno variolæ grassantes benignæ sunt naturæ, altero verò malignæ & confluentes, adeò ut sæpius cum variolis & morbillis, Petechias, vibi-

vibices, & ob *μετάστασιν* materiae morbificae pe-
 jorem parotides observaverim. A certa determi-
 nata causa occasionali, hoc año febre epidemica
 maligna & petechiali solos cholericos & bilio-
 sos, altero año puros biliosos & sanguineos, juve-
 nes & robustos viros, tertio anno senes & vetu-
 las solas à febre epidemica, extinctas annotavi-
 mus. A certo determinato aethere colligimus,
 quomodo duo fratres uterini, in locis distitis si-
 mul variolis infecti fuerint: ex ista causa floren-
 te hordeo crasin amittit suam Cerevisia. Pisis
 integro hinc florum vestigio in agris conspicuo
 cocta alia nauseabundum, graminisque sapo-
 rem exhibere ipsis ruricolis est notum: dum vi-
 tes quoque florent, vina iterum fermentatio-
 nem subeunt, sæpiusque tamdiu turbida ma-
 nent, donec flores abierint. Oenopolis fati-
 constat, vina vasis contenta, existente plenilu-
 nio magis tumere, atque assurgere, & quod ma-
 gis mirum, vina aliunde in Angliam devecta, ut
 è Gallia, Hispania & ex Insulis Canariis, sentire
 quæque, natalis sui soli florentibus vinetis, trans-
 missa miasmata: hinc Gallicum non efflorescit
 florente vite in Hispania, aut Insulis Canariis,
 quæ diverso tempore florent, sed in Gallia Ca-
 nariense sentit solummodo florum Canariensi-
 um *απορροίας*, Hispanicum Hispanicorum, vid.
 sect. VI. de ferm. Mart. Kergeri. strepitum asse-
 res edunt, quando idem flat ventus, quo arbores
 ver-

versus terram fuere prostratae. Noxiis scatens aër particulis, iisque diversis, sanguinis nostri aëreo principio peregrinam inducit fermentationem. Hinc ratio existit, cur ad odorem Moschi, Zibethi, assati anseris, catuli, aliorumque objectorum Lipothymiâ tacti decidunt homines. Gallus quoque à mutato aëre variam iminentem tempestatem cantu suo indicat. Et omnes Arthritici, nephritici, vertiginosi, cum iis, qui à profundis vulneribus cicatrices acceperunt magnas, à tempestate varia & determinata, dolores se sentire enormiores in locis affectis, querelas ducunt.

Contagiosa & summè perniciofa quamvis sit Pestis & Pestilentia, determinatè tamen virus suum corporibus imprimere nostris, jam innuimus, tam quoad ipsissimam naturam, quam quoad certam subjectorum temperiem: Hoc quomodo miris modis & ferè imperscrutabilibus procedit, pauca paucis exponere haud gravor: sequenti igitur modo accidere determinatam miasmatum actionem planè sum persuasus. 1) Aut enim ratione subjectorum sangvis fuerit terrestris, multo sale acido austero & pituita refertus. 2) aut si magna copia oleosarum particularum adfuerit in sanguine, quibus volatile acre miasmatis ita involvatur, ut se tam facilè extricare haud valeat, eoque ejus vis præpeditur & devin-

devincitur , præsertim cum renitentia ætheris in sanguine , accedente continuo pabulo , magis ac magis aucta , vis verò reluctans miasmatis tandem ita destruat , ut victas porrigat manus. 3.) aut si hæc vel illa miasmata , cum hujus vel illius subjecti exhalationibus , quæ temperiei humorum labem debent suam , sint ita mistæ seu constitutæ , ut exinde miasmata nonnihil alterentur & cominutentur , ut nociva esse nequeant. Probabile enim est , ægrotantium corporum exhalationes , cum intermixti miasmatis particulis per emunctoria & corporis spiramenta eliminatas , in statu licet sint morbofo , tamen ita dispositas esse , ut hisce adversentur , aliis verò non , quod in statu naturali quotidie annotatur. Probabile quoque esse videtur , miasmata venenata hoc vel isto subjecto conjunctis aliis corporis heterogeneis orgasmo humorum excitatis & combinatis , aut magis venenata , aut magis amica reddita. Si prius verum , plura objecta ægrotis accedentia , virus ingressu liberantur , si posterius , plerique iis obvii homines inficendo nece mulctantur. Probabile denique est , quodque svadet ratio , variis accidentalibus intervenientibus causis , quas indicare omnes impossibile arbitror , sive mutatio aëre tanquam causa occasionali , accedente varia tempestate , qui hoc modo aquosior factus , ut hinc miasmata circa hæc vel illa subjecta versantia , in particulis
aquo.

aquosis, ut proportionatō Phlegmate dissolubilia, disjuncta & infracta fiant, quo ipsō activitas eorum ab adstantibus sanis subjectis fortioribus, tunc ab iis resistentibus exhalationibus & renitentia familiaris, subjecti humorum eluditur, ingressus spiraculorum quoque præcluditur, sicque ista subjecta, invasione miasmatis pestiferi immunes existunt, quod in maximum solamen, furente peste, tempestate tonitruali & fulminanti observatum: aut quando suffimigiis, aëris recentatione ægrotorum exhalationes & miasmata circa ea remorantia, hincque inde volitantia sint correcta & inversa, aut si accedentia corpora ægrotantibus, multa acida ingurgitarunt blanda, fluida, ita istis imprægnarunt, ut hoc pacto miasmatum aculei venenosi destruantur, orgasmus humorum idcirco præpediatur, hoc est omni sua activitate exuatur. Probabile demum quoque est, hujus vel illius massa sanguinea suis globulis rubicundis intermixto fluente sero aliam representare quam alterius faciem; hujus enim ob magis disjunctos istos globulos porosa magis præsupponitur, qua tam copia quam libero motu æther cum subtilissimo aëre vel mediæ naturæ, hincque dependente fortiori elatere nidulatur, hacque ratione sanguinis motum intestinum fieri fortiozem, imò constantiozem nullus dubito, multò minus quis detrectabit, hoc pacto ægrotis obvia, ob
istum

istum motum sic existentem fortio-rem, & reni-
tentem elaterem maximè potentem manere
salva & tuta: & quid dicam de sreatu, sputatione
& sternutatione? multos istis excretoriis moti-
bus abigisse virus pestiferum passim apud Au-
thores legimus. Exemplis quemadmodum res
illustrari nemini non constat, sic quoque quæ-
dam vera à me annotata pertexere non pigebit.
Centurio hujus Urbis supremus civium, Vir fi-
de dignus & prudens coram multis apertè con-
fessus est, se cum locum sepulchrorum ad cada-
vera sepelienda, magna copia Mense Augusto
extincta, publicum seligendo assignavit, eo ip-
so præsentè ab adductis tunc cadaveribus peste
exspiratis, sensibilem auram maximè fœtidam
extractam, naribus exceptam, per totum cor-
pus suum momentaneo ictu pervolasse, à quâ
tum paulo post, vertiginem, Cephalalgiam e-
normem, Cardialgiam & virium prostratio-
nem se domum revertentem sensisse, hisce ut
tempestivè se opponeret Tinct. bezoard. D. M.
larga dosi cum sufficienti Vini Rhenani haustu
assumebat, sudorem eliminando se accommo-
dabat, quò elicito omnia recensita symptomata
cum euphoria sui remittebant, & hodierno die
vitam lautè agit.

Mercator linarius Uxori suæ charissimæ
peste decumbenti, omnibus simul suis liberis
mia-

miasmate isto pestifero correptis, tam sua continua præsentia quam charis servitiis nullo loco cum deesset, interruptaque morâ nihil prius, nihil antiquius isti esset, quam ut candorem suum ad vitæ finem visceribus præstaret, quem ut externis signis manifestaret, sic sæpius Uxori suæ, Carbunculis & bubonibus afflictæ, me præfente oscula præberet, hoc tamen non obstante, saluus & peste immunis remanebat, ac hodierno die sospes ac incolumis vixit, Uxorque ejus quoque Peste liberabatur, feliciterque à me sanitati restituta hodierno die sana existit: duas verò filiolas lues ista deploranda absorbsit.

Mercator Linarius in Platea S. Peter Straßse vulgò dicta habitans, suæ Vxori quam ardente afficit amore, lue pestiferâ graviter decumbenti servitiis nullô loco cum deesset suis, adeò ut nocte diêque aut sella proximè cubili positâ aut lecto assideret, sedulòque ejus statum & postulata observaret, hoc tamen non obstante peste remanebat immunis, Uxorque sanitatem feliciter recuperabat suam, & hocce tempore vitam ambo lautè & amicabiliter agunt.

Ancilla in Platea Stadien=Strasse/ sic vulgò nominata, domo frequenti viduæ serviens se continebat, inter viginti peste correptos & quindecim eâ jugulatos, quibus omnibus seriatim

tim

tim servitia præbebat sua, adeò ut noctu die-
que istis interesset, emortuos vestimentis se-
pulchralibus induens & involvens lavabat, ci-
stisque recondebat: hæc omnia ab ista præsti-
ta officia nihil impediebant, quo minus singu-
lari Dei umbone & tutela, incolumis, sana, ve-
geta remaneret, adeò ut confiteatur, se ab ista
conversatione ægrotantium, & emortuorum
tractatione ne minimum sanitatis detrimen-
tum, imò ne minimum capitis dolorem sensis-
se. Et quod adhuc majorem in admirationem
rapit: Hospes Lorarius enarratæ domus, cujus
Uxor satis formosa & in ætatis flore constituta,
quam sincero, uti contestari possum, & infuca-
to amore prosequutus, peste correpta, cum ejus
fratre, studioso Theolog. quibus interrupto mô-
do servitiis iste intererat suis, ambo interposi-
to uno die, eâ opprimebantur, quos ut Cha-
rissimos amicos suos, Cisternis, manibus re-
condebat suis, imo, omnes reliquos in sua do-
mo lue ista extinctos, & ultimis suis recepta-
culis recondendos, & sepeliendos curans, o-
mnem navabat operam: peste tamen his non
obstantibus immunis manebat, ac prospera u-
titur jam valetudine.

Matrona Nobilis & filia maxima natu in-
nubilis, duabus natu minoribus filiabus Pestis
horrendis Symptomatis decumbentibus, noctu
E die-

dieque omnibus amoris obsequiis interrupto aderant modò, imò ne momenti morâ aberant, omnes intendentes nervos, ut iterum ægræ relevari possent, incassum autem omnibus tentatis supremum ambæ obière diem, unâ hora, unoque die. Mater autem cum filia natu maxima incolumis ac sospes supervixit.

Cerevisiæ Decoctoris Uxor, teneræ constitutionis, cujus Maritus per octo annorum spatia phthisi vera graviter afflictus, totam fere suam Peste familiam correptam, ex qua duodecim extincti, visitabat, ab omni tamen infectione salva & incolumis manebat, jamque gravida, spatio decem hebdomadum partum expectat.

Sic Unica Puella quæff Christianshafen ex tota familia, quæ Peste deleta, salva ac sospes relinquebatur.

Cerevisiarius in Platea Wæster = Strassen vulgò dicta, cum Uxori suæ, per totum pestis curriculum, affixum se quasi teneret, istamque erigendo, pulvinaria sæpius ob ejus jactationes & inquietudines capiti substrata commodius reponendo, alimenta, Medicamenta exhibendo tanta charitate amplecteretur, ut numero candidorum Maritorum Hafniensium

um, merito qui adscribatur, dignus sit, sospes tamen ac sanus superstes manebat, Uxore ex amplexu mariti Charissimi fati ereptâ. Uxor mea Charissima filiulam meam unicam Peste Menſe Sept. correptam, eâque lugebundo eventu extinctam, omni momento & gremio & brachiis gerendo, blandiendo, exosculando tractabat, â latere aliquoties noctu accumbebat lecto, salva tamen & facta Dei gratia relinquebatur, vitam vegetaque adhuc agit.

Plura Exempla â me annotata, probantia, quod miasmata determinatè in determinatum saltem individuum agant, adducere poterim, nisi reliqua magis ardua me acquiescere indicarent: sufficet è contra paucis dixisse, multos utriusque sexus morte pœnas primo accessu ægrotantibus, nimiae vel curiositatis vel avaritiae luere debuisse. Ne ultro facem in meridie accendere me velle videar, clarum quam quod clarissimum, quod nimirum, uti non omnes cum omnibus liquores pugnam ineunt, ita quoque non omnia individua, quæ affliguntur sine ullo discrimine ab ejusmodi inficiuntur lue. Quemadmodum porrò, fermentescibiles liquores & liquores magna intercedit differentia, ita & inter individua, quæ afficiuntur, diversa morbi facies quandoque se prodit. Sic fermentum panificum, massam

E 7

fari-

farinaceam, additâ aquâ fermentare facit, non vero aliam massam. Calx viva cum aqua ebullit, cum salibus alcalinis congregiendiens, omnibus parcit ictibus. Aqua fortis argentum in minima discerpit frustula, aurum vero intactum relinquit. Si Théë infuso calido Vitrioli solutionem affundam, nigra apparebit illa, si vero cum spiritu Vitrioli misceam, adhuc in nigricantiorem mutabitur colorem, hac cum differentiâ, quod particulae quaedam fundum petant: porro si Spir. V. Lacti affundo, paucae secedent moleculæ, si verò acetum addam, è momento præcipitabuntur omnes; demum si Aqu. fortem adjungam, omnes coagulum cito representabunt. Si Salia volat. alcalina & urinosa sanguini nigricanti & coagulato admisceantur, illum reddi & fluidiorem & colore subrubente purpureo tingi annotabis. Si autem sanguini, aqua calidâ diluto, oleum Tartari per deliquium affundo, materia quasi resinosa ad fundum abiit. Si præcipitato rubro Vitrioli spiritum affundas, fiet solutio cum aliqua ebullitione, atque solutio limpida evadet instar Mercurii: vice versa, si spiritui Vitrioli præcipitato rubro ante affusio super affundatur adhuc Spiritus Salis, producetur mox egregium album. Si affundatur præcipitato rubro Sp. Sal. armoniac. fiet pulvis gryseus; sed si his aqua affundatur, in lac abiit, confer. de hisce Lemery Cours. Chemic. Quo-
ties

ties Mars cum oleo Vitrioli congregitur, insignes tumultus conspectui se sistunt, qui autem cessant, quamdiu ille in Matricis suæ gremio latitat. Reguli purioris Antim. societatem recusat Mercurius vivus, crudi autem ejus in amplexus venire, deinde haud veretur. Alia est effervescencia, quæ à Spir. Vitrioli vel Nitro vel Sali ex Absinthio vel Sali tamarisc. affuso excitatur, alia quæ ab aceto Coralliis commisto observatur, plura de hisce conf. in Zodiaco Medico - Gallico. Spir. Vin. Phialæ strictim inclusus, nulla effervescentiæ signa ostentat: Sin verò Spir. huic parum olei Thereb. adjiciatur, particulæ liquoris adeò exsiliunt, ut vitrum hermetice obsignatum, effringi videatur. Aqua quævis herbarum stillatitia, si modo simplex in vitro servetur, diu interrupta perstat: Sacharo autem aut Syrupo ei affuso, brevi acescit & corrumpitur.

Morborum malignorum, uti secundum majus vel minus, symptomata differunt, quemadmodum in antecedentibus deducendo indigitavimus: ita bre-

Diagnosin Pestilentia, præcipuè Pestis propriâ experientia superstrueta eruitur

vitatis causa Diagnosin Pestis, quam quantum mihi nuperrima nostra luè pestiferâ observare licuit, proponere jam & describere placebit; nullis certè pepercit laboribus, nullisque de-

E 3

terre-

terreri me passus molestiis, quin accuratè & penitus hujus morbi genium & ejus apparentias ex ægrotantibus, eoque decumbentibus & mihi concreditis exquirerem & annotarem. Ne autem pagellarum numerus spem & propositum excedat meum, præcipua symptomata exactè memoriæ & chartæ tradita iterum expromere haud gravabor.

Horror major vel minor, potissimum horâ sexta vespertina præcessit per totum corpus, quem mox interior scil. æstus, plus vel minus intensior, excepit, qui quandoque punctiones tanquam ab aciculis in cute referebat, quandoque urens cum levi siti, ut plurimum tamen intensè urens cum intolerabili siti, ariditate, scabritie nigritieque linguæ fuit: Hæc pressio sequebantur pede totalis virium penè prostratio, Scotomia, Vertigo, Cephalalgia plus minus intensa, præsertim in frontis & temporum regione: plerisque profundus sopor, instar Lethargi per viginti quatuor horas & ultra, aliis cum Scotomia & Cephalalgia statim deliria juncta, nausea, vomitus plus vel minus urgens (sic vomitu multi dejiciebant materiam nigricantem & fœtidam, qui autem omnes interiøre) præcordiorum anxietates, quin & lumborum dolores atrocissimi, contristatio animi, quâ sæpius magna copiâ Lachryma

ma

mæ elicitaë buccas irrorarunt, palpitatione cordis insignis, spasmi oëulorum, qui aliquandò flammei & torvi erant, sæviebant, inultos cruciabat diarrhæa fœtida, & Dysenteria enormis cruenta, multi vultu tristi, modò livido, modo Erysipelaceo se fistebant, plurimi vexabantur artuum pandiculationê, multos Agrypniaë affligebant, alios insignis æstus in superiori ventriculi orificio & in renum regione circa lumborum vertebra, anxios reddebat, qui autem omnes perierunt. Multis Hæmoptysis, Pleuritis, Asthma convulsivum, adeò ut præ suffocationis stricturnâ, sæpenumerò sanguinem salientem expuerint, præ aliis emergebant. Aliis dysuria, Ischuria, stranguria, mictus cruentus & urinæ incontinentia caput emergebant. Singultus, qui symptoma omnibus fuerat exitiosum, narium pruritus, hæmorrhagia narium, plurimas apud sexum sequioris uteri, colica mares, fœminas Passio hysterica vexabant. In quibusdam teter & putridus oris sapor & amarus, & in ore maculae & ulcuscula varii observabantur coloris. Multis extremarum refrigeratio & Syncopes, qui summo vitæ periculò, erant præsentis. Pulsus erat modò creber, depressus, inæqualis, modò magnus & æqualis, modo repens, modo subsiliens. Urina, modo rubicunda, modo flammaea, mox instar jumentorum, mox aquea, & primis diebus cum crasso sedimento, mox sanis simillima, per to-

tum morbi cursum, quorum mors ut plurimum præforibus erat. Quæ uteri hæmorrhagiâ sunt tentatæ, pulsum frequentiore, celere, languidum, mordacem & interdum imperceptibilem habebant. Bubones, qui nihil aliud sunt quam in partibus glandulosis elevati tumores, modo erant ingvinales, modò axillares, modò parotides, seu ponè aures, modò in ore aderant, qui interdum quoque ad fauces se extendentes miseros occupabant, vario prodibant aspectu, mox rubicundo, mox pallidò & obscuro, renitentes modò, manibus cedentes mox observabantur, qui erant periculosissimi. Ingvinariî bubones sub eruptione enormibus sexum sequiorem vexabant doloribus, bubones sub alis eruptione Pueris & Juvenibus atrocissimos movebant dolores. Qui Parotides accipiebant, in summo versabantur periculo, & cum deliriis & Phrenitide ut plurimum vitam cum morte mutabant. Multis circa articulationem cubiti tumores erant conspicui duri, qui si percussi, petechias cum morte certissime inferebant. Mense Augusto vesiculæ cœruleæ multorum digitos pedum obsidebant, qui ex iis dolores sentiebant atrocissimos sine ulla intermissione, donec aut jugulati aut restituti. In bubonibus nonnunquam observabantur vermiculi, qui autem nullos attonitos reddant, quippe cum nulla animalcula nisi ex ovo generantur

rantur

rantur, hoc est: nulla progenies nisi ex ovo originem ducit, ita isti vermiculi bubonibus maturis ab insectorum, muscarum nimirum ovis, ibidem additis & reconditis apto seu proportionato calore sunt exclusi. In parotidibus istos vermiculos in magna sæpius catervâ à me visos testor.

Circa bubones adhuc notandum venit, non omnes maturasse, sed multos sudore evanuisse, multos quasi intro repercussos, seu introgressos esse, tum semper ægrotantes summô erant vitæ periculo, aut perechias, à bubonibus sub alis introgressis plerumque observari cum certa subsequuta morte. Multis sanies in bubonibus instar fistularum cavernas seu vulnera excitabat. Carbunculi seu anthraces & varii coloris diversæque figuræ & indolis erant, dati nonnulli, qui instar flammæ magna circumferentiâ cum vesicula cœruleâ maximè urenti, dolente annotabantur. Alii aliis stigmatibus nigrô, profundè ad ossa penetrante, sed minori circumferentiâ erant. Alii vesicula cœruleâ nigricante, in quâ serum acerrimum contentum se repræsentabat, cum cavernâ à cuniculis quasi subfossa & profundissimè penetrante. Plurimi instar Carbonis emortui & cancri cum crustâ densâ & nigra horrendo spectaculo circumjacentes partes, instar Gangrænæ

nae consumentes erant. Quibus carbunculi sterno, umbilico, & regione lumborum, vertebrarum eruperunt, cum enormibus cruciatibus & inquietudinibus fatis cessere. In genere sub carbunculorum eruptione atrocissimus dolor, urens & corrodens in partem sentiebatur affectam, indiscriminatim illi partes obsidebant & internas & externas, adeo ut multoties in multis repentina nece extinctis, vicibus post mortem conspicuis & suspicari & hariolari licuerit, & cor, pulmones, cerebrum, & alia nobiliora viscera carbunculis fuisse infestata. Post dolorem urentem efflorescentia quaedam, modo livida, coerulea, als wann eine grosse Finne ausbrechen wolte/ conspectui se sistebat, in cuius medio stigma nigrum ut plurimum apparebat, quod intra brevissimum tempus partes depascendo mortificans in superficie crustam referebat densam, nigram, instar carbonis emortui, uti dictum, adeo ut nisi tempestive extincta & separata ista efflorescentia, instar gangraenae omnes circumjacentes partes horrendo Spectaculo consumpsisset & mortificasset, hominemque enecasset: cum separatione si excidebant, cavernam carbunculi relinquebant profundam & insignem cicatricem, quod plus quam centies observavi: plura de hisce legi merentur in Franc. de le Boë Sylvii Pr. Med. libr. IV. tract. II. p. 273, ubi sequentia
 quæ

quæ extant apponere svadet institutum; Nec diu pustulæ speciem servant anthraces, quin mox tumorem duriozem, in universa sui circumferentia ostentant, sicut in sui medio in ulcus exedens aperiuntur, quin imò sæpius quaquaversum ambulat, & vicinas partes mirè depascit, undè nonnunquam oculos excidisse notum est, sed & post curationem fœdæ ac prægrandes cicatrices remanent, propter carnis multæ deperditionem. Et ego reminiscor duorum puerorum, Mercatoris filiorum, quibus carbunculus totam mammaram circumferentiam exedit, ut palmaris magnitudinis, & ultra caverna remanserit. Imò viri nobilis, cujus pedum digiti anthracibus obsessi, ut partes exesæ exciderint.

Totam nostram Machinam quoad partes solidas meram compagem esse tubulosam callere omnes sum persuasissimus. Quam-

Explicatio
symptomatum
recentiorum.

primum miasma pestiferum ut summum volatile & peregrinum sanguini sit commistum, vix primo suo accessu attingere unicam partem, quin per totam Massam è momento subitanea subsequatur mutatio, sana dicitur ratio. Si porò partibus sanguini intimius misceatur, intimior quoque lucta cum iis fiat oportet, hinc ob renitentiam ætheris consveti & peregrini,
sub

Unde rigor sub initium fermentationes illius
& æstus. sufflamini videntur; sic ob incon-
stantem motum fibræ partium minus concu-
tiuntur minusque tremunt, quo pacto cum de
quiete participare incipiunt, mens illam con-
cipiens horrorem pronunciat. Ast cum sem-
per circulatione iteratâ miasma pestiferum san-
guinis partibus adhuc intimius commiscetur,
luctam existere majorem nullus dubito, sicque
resistentia supprimendo corpora, eaque in suum
motum velociorem abripiendo, resistantibus
interea iisdem corporibus & eorum æthere fi-
brillarum tremor existit intensior, sicque sub-
oritur caloris idea, qui prius mitis observatur,
si nimirum è vestigio fluida novâ gaudent resi-
stentia, donec cunctatione longiori & luctâ ve-
hementiori vehementiorem ineant pugnam,
quo ipso fortior fibrillarum tremor & concu-
sio sequatur oportet, unde insignis æstus cum
vigiliis pertinacibus ex ataxia Spir. anim. con-
citatori imminet. Pulsus cum fluidorum mo-
Unde pulsus tus & cohæſionis testis habetur,
varius turbatus, differentiam idcirco pulsus à di-
verso fluidorum nexu & peregrini recessu de-
pendere nullus dubito: Sanguis etenim in suo
motu & mixtione turbatus, per arteriarum an-
gustias means, motu magis intestinô quam pro-
gressivô sustentatus sine arteriarum dilatatio-
ne propelli nequit, quin eam mox constrictio
exci-

excipiat, hinc necessariô diversus se prodit pul-
sus: Qui æqualis tum notatur, si fluida in suo
motu & mixturâ æqualiter cum secessione par-
ticularum sint turbata; si autem inæqualiter in
suo motu & mixtione fluida sint distributa, par-
ticulæ sic sphæram inæqualiter vel vorticem ab-
solvendo ad arteriarum latera inæquali mo-
do arietent sequitur, quâ rationê continui &
contigui se manifestet pulsus inæqualis, in
promptu est.

Ad profundum soporem plurimi peste
correpti spatio 24. horarum & ul- Unde sopor
profundus?
tra sunt propensi, quia orgasmo hu-
morum seu nimia & inordinata commotione
sanguinis in cerebro arteriarum pori insolito
dilatantur modô, quo pacto multæ crassæ, len-
tæ & terrestres vi extruduntur & exterminan-
tur particulæ, quæ hinc & inde hærendo gra-
vant cerebri membranas, tubulosque sensibus
destinatos ita comprimunt, ut elevatio eorum,
per mæandros salebrosos ad Spir. anim. trans-
mittendos aliquantulum sit imminuta & depra-
vata, hinc necessario ad soporem propensio sub-
sequatur. Adde quod miasma pestiferum ner-
voso systemati, & in eô nidulantibus spir. anim.
integras vires capeffendo suas, fontem generis
nervosi & metropolim aggrediatur, istumque
sic ligando & quasi constringendo spir. anim.
in

in sua elasticitate, non solum impediat, sed quoque imminuat eorumque ulteriori secretioni obices ponat non contemnendos, unde quoque sopor & Scotomia: Vertiginem exinde suboriri arbitror, quod sanguinis turbatione crassiores secernantur spir. anim. quam qui tubu-

unde Vertigo los ordinario motu ingredi queant existit? hinc retrò agantur necesse est, sed

quo versus? regredi enim nequeunt, quia à tergo alii sequuntur, ergò deflectunt ex naturæ legibus sub minimo à recta distanti angulo, sed quis ille? nullus alius quam circularis, hoc est: aguntur in circulum, hoc est: vertigo existit, quam quandoque presso sequuntur pede deliria.

quomodo excitantur deliria?

Dum enim omnia in sanguine aliisque humoribus exagitantur, Spir. quoque animales in suo turbantur motu, in cerebro hinc & inde oberrando, jam hæc jam alia rerum vestigia antea impressa, menti tanquam præsentia siltunt, eamque ab externis avocant, circa quæ cum Mens occupata ea intentius desiderat, eò ipso semper ab iis abripitur, de iis postea ratiocinatur & loquitur, quæ cum iudiciis adstantium non conveniant, delirare inde æger dicitur, & illa deliria mirum variant in modum, prout hic vel ille æger hunc vel illum vivendi ordinem observavit. In fatuitate hinc mentem rectè ratiocinari planè affirmare audeo; de actis enim &

&

& probatis judicat mens, judicii exequitur officia corpus, quâ autem connexionem & vinculo? Imperium summi Principis id satis illustrat; auditô enim nomine, vel visis insignibus tantum ægros moveri exercitus, cum tamen nulla insignium cum ipso effectu sit connexio, nisi solius principis arbitrium. Erit igitur & hic aliquod adhuc superius Ens, cujus divino nutu ex certis cogitationibus Spir. anim. totidem quasi manipuli ad hæc aut ad alia officia corporis amandantur, & sic vice versa sunt totidem quasi excubitores in speculâ constituti, qui quodcunque notatu dignum in œconomia corporis occurrit, id menti denuntiat:

Oculi notantur aliquando ignei & rubentes, imò & torvi, qui indicant maximam sanguinis turbationem, Spir. anim. in tubulos inordinatum influxum.

Unde oculi ignei & torvi?

Convulsiones ut plurimum morbi statu, observatæ oriuntur, à fluidorum acredinê, humorum orgasmo, & Spir. anim. inordinatô in nervos influxu,

Unde convulsiones?

Urina modò sanorum similis, modo flammea, rubicunda, modo instar jumentorum est. Sic sanorum similis indicat tantam humorum turbationem similem

Unde Urina tam varia.

lem, quâ crassiores heterogeneæ nondum seces-
ferunt ab invicem, sed firmam adhuc cohæsio-
nem cum reliquis obtinent, quæ pertransien-
do renum tubulos, eos & constringunt & op-
plent, hinc crassioribus remanentibus, non nisi
perpetratum serum sub aquæ forma se præbet,
hoc est: sanorum similis existit; flammea indicat
in sanguine magnum adesse tumultum, quo a-
crimonia sanguinis maximè exaltata est, & sero
ejus communicata & commista.

Unde tinnitus & fu-
furrus excitatur?

Lentæ & terrestres cum
subtilioribus in unum con-
spirantes motum progressivum, eæque stata san-
guinis circulatione, totum pererrare coguntur
corpus, licet non omnium cum mæandris par-
tium conveniant, hinc ubi vel gyrati vel distor-
ti vel subtiles meatus sunt, vel illæ quæ crassiti-
em obtinent, levissimam facilè ibi subsistunt ac
adhærent eosque obstruunt, imprimis si cum
subtilioribus laxè cohæreant, undè si impressæ
auditoriis nervis surditatem, tympano autem
organis auditoriis aliis accedente, aëris motu
undulatorio tinnitum & susurrum excitant.
Quod si etiam glandularum salivalium tenera
compages crassiusculis intrusis salivæ profilien-
ti obicem facillimè sistat, irrigatio & humecta-
tio quoque faucium imminuta
Unde lingua arida & aspera? existat oportet, nec tantum sitis
calo-

calori respondet, vel excedit caloris modum, sed & Lingua simul arida & aspera est, fissurasque obtinet, quapropter *avaudia* simul, cum ex siccitate liberè organa agitari nequeunt: ab aëre in lingua sicca lenta materia nigredinem tandem repræsentat, cum amaro sapore, qui sine dubio ex partibus corruptis, amaris, viscido involutis, & papillis, nerveis in- ex quâ causa hærentibus molestè vellicantibus sapor amarus? existit, de quo sapore amaricante, in nostra nuperrimâ luè pestifera ægrotantes querelas gravissimas edebant.

Particulæ porrò vellicantes unde cardialgia, secundum sanguinis diathesin & nausea & vomitus? miasmatis activitatem ad ventriculum protrusæ, si vellicent nervos molestè, Cardialgiam, si vellicando insimul illum constringunt, nauseam & vomitum excitant.

Ad glandularum intestino- Unde diarrhæa rum poros corrivans tumultuo- & dysenteria? sus sanguis, secundum suam indolem, prolem iis, scil. lympham, suam concredit, cumque eâ varii generis partes exonerat per vasa excretoria; Sic alvus variis spurcitiis, imprimis foetidis, putridis ex lucta à miasmate volatili alcalico humoribus spiritibusque introducta, laxatur. Quod si cum lymphâ turbata, glandulis inte-
F stina-

stinalibus salia acria caustica corrosiva deponendo ita intricantur, ut non solum istas & substantiam membranofam intestinorum irritando crispaturamque inducendo ex illarum poris lympham insolito modo eliciant, ut hac ratione fluxilis non solum existat, sed & insimul vellicando intestinorum, membranoso-nervofam substantiam, ut fibrillæ tensæ incurrant ruptionis periculum, & à tot spiculis & ensibus dolor excitetur enormis, sed & suis tum angulosis substantiis, imprimis si lymphæ, ut eorum Phlegma seu vehiculum jam abierit in poros constantes se insinuant, vasa sanguinea tanquam totidem enses corrodunt, discindunt, adeò ut plorent sanguinem, qui cum lymphâ elicitâ & collectâ aliisque spurcitiis motu & à vellicante acredine corrosiva spasmodico, & motu intestinorum peristalticò effluendo dysenteriam constituit, quam in multis peste correptis mense Augusti, Sept. Octobris & Novemb. funestò exitu observavi.

Unde alvus
obstipata? In multis è contrario & febribus malignis solitariis & insolitariis, uti ipsa lue pestiferâ decumbentibus, quandoque alvum annotavi obstipatam; quibus autem alvus naturaliter segnior fuit, sine dubio, quia glandulæ eorum intestinales non satis lymphæ obtinere ob æstum intensum, quò sero-

ferosæ partes in auras abeunt, quin etiam earundem glandularum pori ita sint dispositi, ut lymphæ minori copia ad lubricanda intestina transitum concedant.

Subcutaneæ glandulæ alluentis sanguinis nexus turbationem ita quoque experiuntur, ut ab exoneratis nonnullis lentis crassis particulis inviscentur & oblinentur, quin etiam à spirituum anim. motu inordinato spasmodicè constringantur, unde remoræ, quò minus vel serum per vasa redeat lymphatica, aut si plicæ valvulosæ sint flaccidæ seu squamulæ tanquam opercula vasorum excretorium glandularum subcutanearum nonnihil relaxatæ, sic sudoribus æger ferè diffluat, aut si à spasmò vasa excretoria constricta, & insensibilem transpirationem & sudorem prohibent; hinc paucus vel nullus sudor sequatur necesse est, quod certè plus quam centies nuperrimæ lue nostra pestifera in multis decumbentibus annotavi, quibus ne sudoris gutta ullis medicam. extorqueri potuit.

Unde sudor quandoque copiosus, quandoque paucus vel nullus?

Turbatus sanguis cum inordinatò Spir. anim. influxu, vasis sanguineis carni minus infixis impetum, quem haud sustinendo im-

Unde narium & uteri hæmorrhagia, hæmoptysis &

F 2

paria

miçtio cruenta?
 paria inferunt, rumpuntur sic, sanguinemque plorant, unde vel narium vel uteri hæmorrhagia ex vasorum mirâ ibidem complicationê, quibus facillimo negotio, tanto à sanguine inducto impetu stillicidium existit, vel impetus vasis sanguineis in pulmonibus illatus hæmoptysin, & vasis subtilissimis vesicæ Urinariæ miçtum excitat cruentum.

Sub larvâ Pleuritidis prima invasione & febris petechialis & pestilens, ex dolore laterum punctorio sæpius ludit & mentitur: ex ni-
 Unde pleuritis?
 miâ nimirum sanguinis commotione casu fortuito nonnullæ in membrana pleuræ depositæ, heterogeneæ vel licantes particulæ & à pressione sanguinis circa istam membranam dolor punctorius suscitatur.

Unde lumborum dolores?
 Spirituum animalium influxus inordinatus ad spasmum ubique tendens, in istis partibus, ubi plexus majores nervosi siti, præ aliis vires suas doloribus enormibus in conspectum dat, qua ex re de lumborum, spinæ dorsi, scapularum, abdominis inferioris cruciatibus atrocibus querelas ducunt ægri, adeò ut credere fas sit, systema nervosum à miasmate maligno maximè infectari. San

Sanguini secundum suam diathesin salibus diversis, plus minusve acribus, referto, cum peregrinum miasma admiscetur, illud ob suas partes heterogeneas activas cum æthere peregrino novas & à solitis fermentationibus sanguinis abludentes mutationes inducit, hinc lutando & colluctando sanguinis particulae, nexu vitiatae, inverso moveri coguntur ordine, multis ictibus & congressibus superatis, à diversi generis salibus inter se collisis & agitatis, ex obtusis aciculae, ex aciculis acinaces tandem efformantur, qui continuato licet motu intestino & progressivo, istis motibus haud amplius obsequentes, aliis extricantur partibus, iisque nullatenus commiscibiles, ulterius ad omnes partium tubulos praecipitando deferuntur, quibus conveniunt, transeunt, à quibus verò figura & magnitudine abludunt, in illis subsistunt, praesertim membranosis partibus, quae constantioribus fruuntur poris, hinc ibidem dolores enormiores, sicque cum lymphâ, Salium vehiculò, ad omnes corporis partes internas & praesertim externas, cutis duntaxat poros alluunt, ab aestu humorum interea intimius illis infliguntur, in quibus aëris exterioris resistentia deficit; hinc in dorso, scapulis, pectore, abdomine, petechiae potissimum conspicuae, ibique haerendo & obstruendo non nisi mate-

Unde Petechiae,
Bubones &
Anthraces?

riæ subtilissimæ fulguris instar transitum concedunt, sicque ob angustiam loci velocitatis motus compensando totidem inflammationes movent, unde petechiæ, quæ modo rubræ, modo lividæ, quandoque nigræ conspicuæ, prout salium cuspides acutæ vim nactæ causticam, quâ fibras lacerare, erodere, ad crispaturam cogere, tandem non nisi Escharas, totidem ceu gangrænas & sphacelos expediunt: magis conjuncta hæc salia ad superficiem cutis delata vibices diversæ magnitudinis & coloris constituunt. Et ista salia corrosiva secundum miasmatis activitatem & sanguinis diathesin, quâ data porta ad partes nobiliores glandulosas delata & præcipitata, ibique hærendo obstruunt poros, obstructionem presso sequitur pede dolor, tumor, rubor, postea Bubonis nomine venit, qui modo venit ad supurationem, modo non. Quod si vero spicula acerrima adhuc magis conjuncta lymphæ exsolutâ & internis & externis adiguntur partibus, adacta ista spicula caustica acerrima obstruendo, rodendo, dilacerando, interrupta exerunt mora vim suam, fibræ sic partium in totidem cincinnos resolutis, circulatione humorum cohibita, horrendo spectaculo instar carbonis extincti anthraces seu carbunculos constituunt.

Petechiis superatis, restituto potissimum laticis

ticis purpurei & succi nervosi motu naturali per epidermidis mæandros subtilissimos apertos, angulosæ Salinæ particulae transeundo eorum latera arietando, situm & connexionem invertendo & disturbando, suppressâ malignitate, scabiem quandoque inducunt, quâ, quanta acriorum copia fluidis inextiterit, apparet.

Et ista salia aëria demum ad rivulos ducta salivales, stimulando Ptyalismum cum ægri euphoria excitarunt.

Paucis demum versibus ab ingenioso Poëta excogitatis symptomata Pestis discutienda esse non inconsonum duco; Sic inquit Metam. l. 7.

*Viscera torrentur primo flammisque fatiscunt
Indicium rubor est & ductus anhelitus igni
Aspera lingua tumet, tepidisque arentia ventis
Ora patent, aureque graves captantur hiatu,
Non stratum, non ulla pati velamina possunt,
Dura sed in terra, ponunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fervet
Nec moderator adest, inque ipsos sæva medentes,
Erumpit clades, absuntque autoribus artes &c.*

De Prognosi
Pestis & Pe-
stilentia.

Quod morborum maligno-
rum Prognosin, præprimis Pe-
stis & Pestilentia, de quibus scopus

F 4

pri-

primarius, attinet, apertè confiteor sanctèque
 testor, istam maximè fluctuare ambiguan, imo
 lubricam esse. Hinc Hippocrates dicit in mor-
 bis acutis non omnino certæ sunt prædictiones
 mortis & salutis. Lethalia censentur signa, seu
 κατὰ τὸ ὄξο seu κατὰ τὸ θεῖον, ut loquitur Hip-
 pocrates, quum naturâ jam languidiorè nihil
 remittunt, sed aut perseverant, aut exaspe-
 rantur, aut augescunt, bona verò, quæ inte-
 gris viribus evanescent. In febribus continuis,
 quarum acumini malignitas jungitur, præfagi-
 um multò magis infidum. Hinc prudentes
 Medici judicium suspendant, ne ante tempus
 triumphantes cogantur detriumphare, ut Ter-
 tullianus rectissimè. In universum febres hæ
 præcipites & luctuosæ esse solent. Febres ma-
 lignissimæ, inquit Senex noster, cum gravissi-
 mis signis conjunctæ, quarto occidunt die, aut
 etiam prius interdum partium quarundam in-
 teritu cum miseris ægris paciscuntur. Quo ve-
 nenum segniores ciet turbas, eò res ægrotan-
 tis deteriori sitæ sunt statu, conf. de hisce Mem-
 phot. de febribus malignis. Certe adeò pro-
 gnosis in febribus malignis est lubrica & vacil-
 lans, ut ægri cum pessimis symptomatis con-
 valescant, cum salutaribus quandoque e medio
 tollantur. Hinc Medicum prudenter agere duce-
 rem, si nec timidè nimis, nec tumide quid præsa-
 giat, sed se muniat prognosticò dubio: Quicumq;
 uti plerique nuperrima Pestè Scotomiâ & Ver-
 tigi-

tigi-

tiginè sub prima invasione 24 horarum spatio correpti, isti majori vitæ periculo versati, quam qui sub primo accessu Pestis deliriis affligebantur. Quibus per intervalla sæpius superveniebant horripilationes, cum virium languore, cardialgia, vomitu enormi, nausea, siti urgentè, linguâ scabrâ, cephalalgia perterebrante in temporibus, pandiculationibus, inquietudinibus, æstu sine sudore, anima foetida, & foetido sudore, respiratione anhelosa, tristi animo, dysuria, pulsu modò æquali, modò inæquali, urina modò turbida, modò sanorum simili, tussi sicca, lumborum doloribus admodum scindentibus, istos mors suis sectabatur insidiis.

Omnes isti morbi principio ad soporem maximè propensi qui erant, ac si Carô essent affecti, & lumborum ac scapularum doloribus atrocibus afflicti, tertio die ut plurimum Agrypniis vexatos & die quarto cum petechiis & carbunculis naturæ tributo fecisse satis multoties expertus loquor. Quicumque primo die sudoris beneficio fruebantur, secundo autem eò plane defungebantur, & ad eum eliciendum nullo remedio redigi poterant, auctis interea lumborum doloribus, tertio die aut extincti, aut vitæ discrimineangebantur. Omnes qui de virium jacturâ seu languore & continuante

F 5 &

& aucto cum siti intensiori querelas ducebant, in vitæ erant periculo. Quibus viridis materiæ vomitus ad diem quintum perdurabat, isti aut in diarrhæam sexto die maximè foetidam inciderunt, aut singultu vexati; qui autem materiam atram vomitu ejiciebant, omnes me expertò periêre. Plerique mense Septembri & Octobri dysenteriâ qui affligebantur, istâ jugulatos cum vehementissimis abdominis doloribus annotavi. Omnes qui tertio die evanescentibus tum omnibus doloribus inordinato appetitu delectati, quarto die ut plurimum petechiis sunt extincti. In mense Septembris Pestis inguinalia fuit tutissima, Petechialis autem & cum vesiculis cœruleis & vibicibus stipata severissima. In mense Octobris plerique Phrenitide, dysenteriâ, bubonibus in faucibus & Parotidibus sunt afflicti, ab eisque summo vitæ hærebant discrimine. Omnes quoque qui ad spasmodicas contractiones fuerunt propensi, iique Peste correpti hoc mense horrendis symptomatis sunt jugulati. Qui Septemb. & Octobris mense faciê erysipelatosâ fuerunt, isti summo vitæ periculo versati, plurimique ex illis peste oppressi. In mense Octob. & Novembr. multi sanguinei & Plethorici tertio die sine ullâ exanthematum eruptione periêre: in hoc mense quamvis non adeò Peste decumbentes ad soporem propensi fuerint, loco hujus sub
prima

primo accessu deliriis sunt tentati, Lingua fuit scabra, nigra, alii enormibus doloribus intesti-
norum sunt afflicti, qui, si secundo die cessarunt, tertio die supremum obiêre diem. Peste corre-
pti, hæmoptysi & dolore laterum punctoriô spi-
næq; dorsi perterebrante insimul si afflicti erant aut in summo dejecti vitæ periculo aut jugula-
ti sunt. Qui discrasiâ affecti sanguinis scorbu-
ticâ & Pestis plagâ correpti in mense Septemb.
Octobr. & Novembr. ut plurimum summo de-
jecti erant periculô multique ex illis extincti:
Sic vidua scorbutica quadraginta annorum na-
ta, mense Julii peste & expulsis bubonibus in-
guinalibus graviter decumbebat, superatis duo-
decim diebus, feliciter sanitati restituebatur:
quæ cum Pestis iterum pallidâ aspiceretur men-
se Octobr. faciê & carbunculis & petechiis af-
fligeretur, fatis tandem cedere coacta. Omnes
in ætatis flore constituti, & quò vegetiores e-
rant Peste correpti, eô majori vitæ periculo la-
borabant, qui si terrorê & horrore prægressô,
istâ invaderentur, è vestigio tentabantur con-
vulsionibus vel membrorum subsultibus & deli-
riis, quibus Apoplexia sanguinea presso seque-
batur pede. Sic Spir. V. Destillatoris filia 16.
annorum nata, formosa facie exterrita intuitu
præterlati fortuitò domum cadaveris, è mo-
mento Peste correpta, convulsionibus, sub-
sultibus, deliriis, omnium artuum, præsertim lin-
guæ

guæ, tremore tentata, tertio die ejectione uno carbunculo in fronte expiravit.

In mense Octobre & Novembre qui Peste corripiebantur, insignibus omnium partium & artuum doloribus & tensionibus cruciabantur, adeo ut istam torturam sæpius luxationem & dislocationem membrorum, uti mihi præ aliis in Mercatoris Filia 18. annorum nata am Strande contigisse recordor, annotavi, quæ autem Dei gratiam feliciter sanitati restituta & vegeta existit. Quicunque quoque magis de vita quam morte erant solliciti, de ea lugentes & mæsti, animi summa cum intranquillitate, deliriis vexabantur, summoque vitæ versabantur periculo. Quorum oculi erant scintillantes & torvi, & subsultibus tendinum insimul vexabantur, isti omnes sunt jugulati. Quibus secundo die Diarrhæa superveniebat, isti tertio die expirabant.

Qui secundo vel tertio die surditate affligebantur, tertio quoque quartove peste exspirarunt.

Quibus cum diarrhæa materia foetida nigricans laxabatur, omnes sunt jugulati.

Qui primo diæ ad soporem erant propensi,

si,

si, adeò ut à somno abstinere haud potuerint & tertio delirabant cum siti & æstu intensiori pulsu intermittente, & aucto lumborum dolore, in gravissimo erant periculo, ut plurimumque interiêre. Primo equidem die autem ad soporem inclinantes, tertio hilari animo se ostendentes, cum cephalalgia remissione, reconvaluerunt. Qui mox jacere, mox sedere, mox obambulare cum aspectu constante & torvis oculis adstantes intueri annisi, periêrunt. Quibus sub alis eruperunt bubones, tertio autem die introgressi, quarto die petechiis & vibicibus expirarunt. Omnes bubones sub alis pessimæ fuerunt notæ, sicut & illi qui collum occuparunt, & pone aures eruperunt. Bubonaria in genere omnium Pestis mitissima & securissima haberi potest, petechialis & dysenterica pessima, media cum anthracibus & vesiculis: eminentibus bubonibus vel alis exanthematis superveniens singultus, signum est lethale, centesimum vix evasisse reminiscor.

Carbunculi pectus qui obsederant, lethales ut plurimum fuerunt: & qui regionem umbilicalem occuparunt, indicarunt mortem. Quibus carbunculorum substantia veluti torrefacta cum circulo cæruleo apparebat ac nigricans, & bubones rubentes & renitentes flacc-

ces.

cescentiam & pallidum colorem ex improvise
 deinde repræsentabant & à suppuratione ali-
 eni, in angusto ægri erat res. Narium stillici-
 dium in morbi principio semper malum por-
 tendit, quin etiam uteri hæmorrhagia fune-
 stum indicat exitum; sic plures quam centum
 sexus sequioris, quæ istam passæ & cum san-
 guine animam amiserunt. Si assidua urgeat
 vomitio cum frequenti Syncope, summo lan-
 gvore & veterno, mors est in propinquo, uti
 in multis mense Julio & August. observare li-
 cuit. Quo scenam tot discriminibus variega-
 tam finiam, paucis eruere placebit, quænam
 sunt signa absolute lethalia: ista autem sunt ad
 soporem propensio spatio 26. horarum con-
 tinuata, anhelosa respiratio, vomitus materiæ
 atræ, fluxus alvi foetidus & nigricans, sudor fo-
 tidus & frigidus, syncopes, singultus frequens,
 desperatio de vita, oculorum motus perversus,
 spasmus cynicus, ulcerosa lassitudo, floccu-
 lorum collectio, oculorum abstersio, musca-
 rum venatio, tendinum subsultus, partium,
 præsertim linguæ, tremor; urina nigra, tur-
 bida, pulsus caprifans aut formicans, vox de-
 ficiens, Ungues livescentes, labra retracta, ex-
 tremum nasi acutum & contortum. Urinæ
 massæ sanguinæ turbationem licet sensibus non
 adeò comprehensibilem indicent, tuta tamen
 fides iis haud est habenda: urinâ enim bona
 cum

cum pulsu bono existente, æger sæpius moritur juxta Hippocratis præfatum. In acutis & malignis cerevisiæ lupulatae & non lupulatae similes semper dolosas annotavi. Urina quoque alba aut admodum cruda & jumentorum similis in acutis periculum indicat non leve: dicit enim alba s. clara morbi magnitudinem, tubulos renum esse obstructos, peregrinum sanguini mistum manere, nihil deponi ad latera: cruda indicat, mixturam sanguinis valdè esse turbatam, & in toto corpore esse obstructiones. Si æger mente constet, & liberatur præcordiorum anxietate, facilis adsit respiratio, quietus æger jaceat, somnus subinde sequatur, nec calor adeò exsiccans torreat ægrum, sed mador eum humectet, & dolores lumborum remittant, bona sunt restitutionis signa. Bubonem quoque febrem præcedere bonum est, sequi malum. Si die Critico erumpant bubones & Carbunculi, bonum esse signum Observatores docent. Si post vesicatorium applicitum nulla se præbet vesica, pessimum est signum, & ægrum vix evasurum indicat, circulationemque cessare indicium est.

CAP.

CAP. II.

De Pestis & Pestilentia Cautela & Medela.

AD præservandum Carol. Patinus tribus his verbis est usus, cede, recede, veni; egregium fuit commentum: ut enim cum Cicerone loquar: est tarda quidem illa Medicina, sed tamen longa, quam affert longinquitas & dies. Incongrua esse arbitror, quæ Judæi de Angelo Pestis, Diridon sic dicto, somniarunt. An verò Angelus Michaël, cui Papæ magnam vim in Peste depellendâ attribuerunt, pestem delendi potestatem obtineat, litigare abstineo, quin potius, hoc Theologis committendum reor, cacumen Adrianae molis hinc Papæ ejus effigie adornant, cujus Templum Michaëlis in nubibus vocatur. Neque amuleti fidem esse faciendam, quin potius ea respuenda & sana ratio & Experientia dictitant. Præservatio ergò duplici instituat

quomodo Præservatio instituat in genere.

tur modò: internis nimirum & externis remediis; quod externa attinent, ea sint ejus indolis, ut arceant exhalationes venenatas, istasque cum aëre infecto corrigant, hoc ad perficiendum ignis & recentatio aëris imò requiritur; quare Hippocrates multò igne cōque ex odoratis parato lignis atque extruētis

ctis per urbem Pyris aëri Athenarum pestilenti, Atticæque Regionis egregiè consulit, florum, aromatum & Unguentorum svavitate aëris malignitatem retundens ac emendans, aureâ proinde coronâ mille nummorum in templo Æsculapii ex S. C. decoratus. Eodem præsidio pridem usum fuisse Arionem Agrigentinum in Græciæ Peste Authores sunt Suidas & Laërtius. At quo splendidius exceptus Hippocrates, eò hodiè miserius tractantur Medici, cum tamen infecto cælo, non aërem solum, sed ægrotos vitæ prodigi, & sui immemores sublevent. Habent nimirum Medici non duplicem Jano Bifronte sed triplicem faciem. Angelica illis est facies ægrotanti, Hominis facies sanato, at Diabolica facies cum munusculo levi pro vitæ periculo sunt ornandi. Sed ut revertar unde digressus, scopo præservationis inservire externè possunt ligna resinosa, ut lignum Lentisc. Juniper. Cupress. Cedri, fraxin. aliarumque arborum. Pulvis Pyrius cum summa utilitate in nostra nuperrima Peste fuit in usu: quin & Thus, succinum, Mastiches, Herb. absynth. Rutæ, rosmar. & folia quercin. carbonibus inspersa vivis bonum absolverunt complementum. Ignem ad correctionem aëris tempore pestis & Pestilentiaë esse summum correctorium Sennertus ait; id quod Homerus noverat, cum Odyss. 22. scripserit,

G

Lati-

Latine reddam: porta sulphur, anus morborum medelam. Porta autem mihi ignem ut fumigem domum. Ad aërem purificandum quoque valent baccae Junip. lignum aloës, myrrha, nux Mosch. spica nardi pro ditioribus, è quibus odoratae pilae à quibusdam utiliter gestae. Multi Civium nostrorum ad suffimigandas domus axungiam rotatoriam cum successu usurparunt. Multa mixta suffimigia nauseosa & nociva fuisse, in hac peste annotavi: mihi ex multis pauca suadere placuit: sic herbam absynth. Rosmarin. Thus & bacc. Junip. commisceri & Carbonibus vivis inspergi jussi, aut solum pulv. pyr. accendi, & acetum rutac: ferro candenti infundi ordinavi summo cum fructu. In Xenodochiis hisce Regiis bacc. Junip. Succin. comm. & Thus carbonibus vivis optimo cum successu inspergi curavi: fumi ejusmodi rursus apertis fenestris accenso igne luculento discutiantur. Sulphuris suffitum multi usurparunt; sic quoque Ang. Sala tract. de Peste præ aliis Sulph. suffitum commendat, svavis odoris quæ sunt, plane respuit, hanc ob causam, quia per ea venenum fovetur, pari modo ac si fortitudo inquit vel rabies Leonis, per agni resistantiam leniretur, vel magis propriè loquendo, ac si maximum Arsenici venenum penitus per Sachari Canti usum demulceri possit. Spir. & oleum Sulphuris encomiis deprædicat quoque

que

que multis. Qui nec Phthisi nec: Asthmate nec Tussi aut raucedine affliguntur, seu istos ad affectus inclinant, summo cum fructu sulphuris suffimigium adhibere possunt. Recentationem aëris in Peste, si aër non ubique infectus, per fenestras apertas, amplis in Plateis, flantê boreâ, & cœlo serenô svadere placebit: in Plateis autem angustis fenestras clausas tenere & quidem morbi statu inconsonum haud erit; quin etiam ut claudantur fenestræ aëri nebuloso ac pluvioso, præsertim nocturnô, tunc enim Pestis miasmata facilius serpunt, corporaque postmodum invadunt, svadeo. Cum Angelo Sala & Sennerto habitatio eligatur ampla, amœna & pura, in loco libero, ventis pervio, remoto ab omni Spurcitie, & â domibus Opificum, præsertim eorum, in quibus candelæ, coria, & similia conficiuntur; hinc quoque procul â Cloacis, â Cœmentariis, Lanienis, Xenodochiis omnibusque locis malè olentibus habitandum censeo. Tabaci fumum ad præservandum â Peste laudem mereri insignem Sydenham. statuere sagit: hinc observavit, quod in Peste Amstelodamens. nulla domus fuerit ab illa libera, nisi ubi Tabacum contexendo operabantur. Verum enim verò contrarium de hisce nostra in Peste annotavi, quippe cum multi qui Contextoris tabaci officio fungerentur, præ aliis extinctos fuisse, quin & in tribus domibus Contextorum Ta-

G 2

baci

baci, multos peste correptos & à me visitatos, summòque vitæ periculo testari possum. Er rhina autem non adeo incongrua, quin potius fatius conduxisse recordor. Aëris indolem Pestilentia Tyrannide per lac calidum explorandam esse docent Practici, an nimirum crusta ei viridiuscula inducatur, quæ infectum indicet aërem. Celsus commendat sobrietatem unumque pastum in die saltem concedit. Avicenna plenius cibandum esse, alendumque corpus existimat; huic plurimi suffragari videntur, cibos dum optimos, hoc est boni succi, facilis concoctionis, & citioris distributionis, præ aliis seligendos esse svadent, iis acetum blandum, ut Omphacium ac malorum medicorum & aureorum expressiones permiscere non pœnitebit: nimia autem fugiatur cibi potusque ingestio, cruditatibus enim inde collectis primis in viis subsidia enasci ad miasma fovendum ac recipiendum pestiferum, quis est qui inficias ibit? præsens eam ob causam Medicis sit vetus proverbium, venter & multa & pauca capit. Vino meraciori parcendum esse plerique statuminare sustinent. Tempore matutino & post pastum saviente Peste vini Rhenani capere haustum tempestivè non adeò prohibitum erit. Scribit hinc Plutarchus in Julio Cæsare, illius exercitum ciborum inopia, pauc. alimentorum usu ideò correptum fuisse Peste, quæ statim evanuit, cum primum appulit in Regionem feracem

cem

cem, præcipue Vini: auget enim membris quæ languent fracta labore,

Egregias vinum vires.

Inquit Homerus Iliad. quin & docet in prædicamento q ualitatis eô tempore, quo M. Aurelius Imp. bellum gerebat aduersus Parthos, pestem enatam, vino & oleo curatam esse. In exercitiis seu corporis motionibus æqua seruetur mediocritas, ne nimia virium fiat jactura. Somno diurno præferatur nocturnus: fugiantur quantum fieri licet in plateis obambulaticiones, ne ab occurrentibus infectis inficiantur obvii, & cadaverum sepeliendorum aspectu terreantur.

Alvus quotidie exoneretur. Coitus, si unquam, pestilenti tempore vitandus erit. Corporis spiracula non nimis rarecant, quin potius leni sudorifero & Alexipharmaco, qualibet hebdomade semel aperiantur. Balnea quoque vitanda: jocose hinc narrat Jacobus de Patribus sibi maximè à Balneatoribus fuisse maledictum, quod sæviente peste balnea Laconica prohibuisset. Studiis haud seriis est vacandum Pestis & Pestilentia tempore reor: Anima passionibus exulent: istæ enim ad miasma recipiendum corpus disponunt: absint primariò tristitia, terror, timor, ira, & odium: pau-

G 3

cis

cis verbis omnia hæc complexus est dictator Sect. VI. L. VI. Epid. labor nimirum, cibus, potus, somnus, animi pathemata, venus, omnia sunt mediocria: mero sopiendi nunquam sint homines, & omnis aufugiatur crapula. Vitanda quoque erunt eorum confortia, qui peste infectos invisere solent, ut sunt Medici, Chirurghi, Sacerdotes, clinicæ mulieres & vespillones. Hilaritatem ab omnibus Medicis commendatam invenio exemplo illius Thaletis Cretensis, qui referentibus Plutarcho & Pausania Musicâ Pestem é corporibus fugare solitus erat; accedunt Thucididis & Lucretii testimonia, eos maximè periisse, qui remediis terrebantur. Qua ex re coram Populo Pestis plagam sub primi ejus ortu à Medicis dissimulari debere, ne ex formidine intempestivâ populo minoris gentis ansa Magistratus bonis institutis se opponendi, litemque movendi supeditet judico: quin etiam ad felicem collimare finem ægrotantium tempestivas & providas separationes: à sanis enim malum venenatum tam cito serpere neque profligari potest: separationes autem istæ non violento modo, quin potius optima cum circumspectione neque terrore & barbarica auctoritate, sed prudentibus blanditiis & miti animo à Magistratu imperentur. Malignitati enim, imprudente, seu nulla facta separatione maxima asportari subsidia nemo

mo

mo ignorat: vicinis sic civibus incutitur non solum terror, sed & incarceratis ægrotis & sanis interceptis remediis adiutoriis & medicamentis mors obtorto obtruditur collō. Qua ex re inter præservativa pestis remedia, non hæc omittantur universalia, horum quippe incuriã aliquando factum est, ut Pestis in aliquam non modo serpsit Provinciam, sed etiam eam absorpsit, quæ alioquin facilè fuisset cohibita.

Sed ut revertar, unde digressus, sequi porrò Areopagitarum disciplinam placebit: nimis autem ambiguum, quin & à scopo meo alienum foret, omni palato ad amissum omnes aperire cautiones & annectere; unum Exemplum ad rem ulterius illustrandam sufficiet à Fracastorio libr. 3. c. 7. vulgatum. Anno nimirum Christi 1511. Peste Veronæ, cum à Germanis teneretur, hominum fece decem millia periëre ex una vestè pellicea, non pauciores quam 25. Teutones obiisse: unò defuncto alter induebat hanc vestem, & hoc alter & alter, donec terribili tot defunctorum Exemplō monefacti vestem comburerent, tunc enim neque supellectili neque ipsis ædibus parcendum putabant. Omne magnum Exemplum inquit Cornelius Tacitus habet aliqua ex iniquo, quod contra singulos utilitate publicã compensatur. Ægros visitari vestitu singula-

ri sint induti ex lino compresso & glabro simplici, quemadmodum omnes sacerdotes & Chirurghi, Pestilentiales in nostro morbo epidemico incedebant, & Ego cum beatè Peste defunctò Collega meo D. Lahm per totum Pestis cursum fabricato Berolinensi contextu cum subtegmine ex lino compresso & glabro induti visitavimus ægros. Cum in vicinia grassari Pestis incipit & jam proximus ardet Ucalegon, Magistratus Medicos Praxi exercitatos medicâ, Chirurgos approbatos, etiam Viros quosdam ac mulieres probitate insignes sub salario constituat publicò, qui infectis fideliter & ubique inserviant. Quo fide & dexteritate sua expediant majori, proponatur iis Collegium quoddam sanitatis ex piis cordatisque Medicis, ac legum peritis, ad quos, quæ aguntur, de singulis referatur, quique ipsi sedulò pro occasione inquirent singula, eaque dirigant, iisque pro re nata sint auxilio. Naribus admovenda sint acidiuscula, ut acetum bezoardicum, ruta-ceum, castoreaceum. Sanctè testari possum, me toto Pestis tractu acetum bezoardicum cum paucò asæ foetidæ commistum, non obstante quod quandoque capitis dolore lancinante affectus naribus admovisse: quo pacto tres vel quatuor Pixides latas foraminibus in superficie superiori pertusas cum spongia isto aceto imprægnata mecum semper portavi, quas modo

do

dò plateis incedendo, ægrotos peste visitando narib' pro necessitate, & re nata admotas tenui. Acidis quoque aliquando os colluendum est, quò retineatur & masticeur Helenii & Angelicæ exoticæ Radix, & qui Myrrham tolerare possunt, cum fructu ut masticient svadeo: Radicem Zedoariæ cum aceto Rutaceo maceratam à multis in ore cum summa utilitate retentam patefacere non piget.

Quod interna attinet præservatoria medicamenta, ista secundum temperiem indivi-
 De internis Medicamentis præservatoriis.

dui dirigenda & præscribenda sint. De medicamentis neutris in præservando successus sponderi potest exoptatus. Acida quoque blanda, quæ iis ob temperiem continuo usu ferenda sint pares, nondum incassum adhibentur: quibus se Francisc. Sylv. & Walschmid. optime conser-
 varunt: quò fundamentò pauperes Electuarium aliquod pondere Nuci Mosch. æquali, cum acetò bezoardico aut Vino Gallico omni mane capere jussi, à quibus non solum appetitus integer conservatus, sed & plerique, qui eo usi, cœteris paribus, intacti & incolumes remansere, quodque Electuarium bubonibus illitum eis maturitatem inducebat, multisque Peste correptis datum & cum pulvere pannon. rubro mistum cum euphoriâ ægri sudorem eliminavit. Aliis

G 5,

succum

succum citri, aliis Elix. propr. c. acid. aliis denique Essent. Rad. Angel. cum haustu V. Rhenan. cum successu præscripsi: blanda nimirum acida & primas vias & massam sanguineam ita disponunt, ut tam constanter miasmata neque recipi, neque ista tam citò se insinuare valeant, quin potius eludantur. Phthificis, Asthmaticis, Cachecticis, Hypochondriacis & Scorbuticis, neutra & maximè refracta acida propinentur, inter quæ Tinctura m. d. prophyl. recenseri potest, quæ ex Extract. R. contragerv. Helen. extracto HB. rut. & scord. & pauco it. castoreo cum S. V. ad Suff. Tinct. præparabatur, cui deinceps Mixt. simplicis & Sp. Nitri dulcis certa dosis addita, quam Tinctur. multis subjectis tam præservationis quam curationis ergo optato cum effectu præscripsi. Essentiæ ex aromatum copia, laxantibus & simul Theriacalibus præparatæ, minus tutæ erant, adeò ut ejus usu, locò præservationis, orci faucibus sint plurimi litati, præpostero enim harum usu, à quibus nova in sanguine diathesis suborta, subsequuto veneno pestifero expirare sunt coacti; aromata enim sine discrimine adhibita sanguinis nexum magis ac magis dissolubiliorem præpararunt; Laxantia turbando aliquantulum sanguinem, spiritusque profligando & dissipando egerunt, Theriacalia imprægnarunt sanguinem multis volatilibus & ob opiata crispaturam tubulis nervosis

vosis

vofis induxerunt, spirituum elasticitatem suppresserunt, ut hinc cum funesto exitu isti peste adorti ad soporem propensi fuerint continuum: imo ad soporem, Lethargo similem, qui Theriacâ quotidie usu inclinasse indefesse annotavi.

Multi cum bono successu pulverem ex Sulphure singulari modo correcto, commisto absorbente, adhibuerunt. Alii Tinct. bezoard. D. M. non incassum assumerunt. Alii Urinam omni mane usurparunt. Alii allium cum pane butyro illito comederunt. Multi Essent. ex variis radicib. arom. & camphorâ præparatam ad præservandum, non sine fructu cum aqua prophylact. Sylv. adhibuerunt. Prolixum foret singulatim ea omnia recensere, quæ ad præservandum salutaria & proficua dici merentur: quippe cum non medicamentorum copia, sed medici de individi temperie & ei convenientibus Medic. judicium absolvat utramque paginam. Beatus autem est Pestis tempore, qui nihil metuit, nihil abhorret; isti autem, qui à primis incunabulis metu indulgent, ab eoque abstinere non valent, mores enim animi in hoc passu sequuntur corporis temperamentum, iis Medico incumbit, ut svadeat bonum haustum vini generosi & musicam, quâ se delectari studeant, & omni ægrotantium visitatione desistant.

Cum

Curatio de-
scribitur

Cum Pestilentia morbus malignorum acutissimus & maximè perniciosus, curationi ejus solummodo describendæ jam vacare & temporis & negotiorum & morbi svadet conditio. Impræsentiarum sub principio operæ pretium duco, ut omnes adhorter Tyrones, operam navare, ut Peste decumbentibus, ad quos vocati, nullum timorem, nullum terrorem incutiant & nunquam eos visitare detrectent, nec in limine saltem cubiculi hæreant, sed propius accedant, hac tamen cautela, ut potius eos averso quam adverso alloquantur vultu, pulsum bene explorent, linguam & oculos inspiciant, spe eos semper lactent & quantum possibile prudentia morbum dissimulent; hinc isti medici maximè sunt reprehendendi, ne dicam pœnâ mulctandi, qui sæviente plagâ pestifera, aut extra pomœria, sevolvendo aëri ruriculo committunt, sicque ut Pastores gregem suam fugiunt, & postliminio relinquunt aut morbum simulando ægrotantibus opem, consilia, quorum tamen numinos tempore salubri haud repudiarunt, detrectant & renuunt. Ast quemadmodum Mundus regitur totus opinionibus, ita quoque ut ubique, æque in hac regione, cum singulari officia fideliter præstita remunerentur ingratiâ, & majora vitiis quam virtutibus proponantur præmia. In primo limine curationis, ut primò generaliter rem explicem, aëris constitutionem, qualis sit inimi-

ca

ca ista pernicies, ut benè animo reputet, medico incumbat. 2.) ægrotantis intemperiem sollicitius investiget. 3.) anni tempestatem exactè inquiret; sic febres malignæ autumnales vernalibus sunt magis periculosæ, pejoris notæ stipatæ symptomatis. Hisce perpensis indicationes secum reputet veras & genuinas exsurgentes, quod miasma seu peregrinum in sanguine gliscens eumque æquo plus commovens supprimatur, ita tamen ut hoc actu ne nimis sanguis torpeat, alias materiæ morbificæ protrusio ad latera impediretur vel sanguinis novum affectantis statum labefactarentur conatus. 2.) Ut peregrinum è corpore eliminetur & exterminetur, spiritusque animales in vigorem restituantur pristinum. His positis quotiescunque cum ægris res est, rimandum erit, an sanguinis fermentationes, ut ita dicam, per se imbecilliores vel iusta spirituum copia & elasticitate destitutus, ut iis decliviore ætate, atque morbo diuturno confectis accidere solet. Si hæc inquirenda ita se habeant, manus à VSne est temperanda, quia sanguis citra ejusmodi imminutionem plus satis debilis despumationi suæ obeundæ prorsus impar redderetur, unde elatere sanguinis in sua vi renitente depresso virus volatile pleno agmine massam sanguineam obrueret, palmam præriperet & sic homo periret.

Atta-

Ubinam VS.
administran-
da.

Attamen ubi in contrariæ in-
dolis sanguinem incidimus, qua-
lis flore ætatis hominibus, athle-
tico habitu, temperamento sanguineo & cho-
lerico reperiri consuevit, hoc est ubi sangvis
tam in copia adest, quam spiritibus vitalibus &
oleosis particulis abundat, aut ubi vires nullo
præcedente morbo sunt attritæ, explorato cum
industria pulsu, ac ægri circumstantiis aliis ritè
indagatis, Medicus VSnem svadere potest, quæ
in febribus malignis solitariis intra spatium 24.
horarum instituat. In Peste & Pestilentia
autem aut ultra 4. aut 6. horas à prima invasio-
ne virus haud prolongetur, aut plane ab ea ma-
num temperet, alias ægrotum in statum dejicies
deterrimum, imò cum sanguine anima privares.
A lanceolæ enim cuspide in his morbis & vita &
mors dependet, & medici iudicium in morbis
acutis indagandis & curandis clare innote-
scit; hinc isti ægroti male sibi consulunt, qui Me-
dicum tralatitia Scientia & perversis principiis,
aut istum, qui à prima pueritia non à Viris do-
ctis, studiis, scientiis & Medicinæ Sacris solidè
sit innutritus, aut qui a juventute solummodo
Chirurgicis aut Pharmaceuticis fuerit deditus,
& Empirice tanquam ut medicafter ægrotos
fraude subducit, accersiri student. Mensuram
determinare difficile est; mihi est solenne sem-
per eam duntaxat sanguinis detrahere quanti-
tatem, quantam humorum orgasmus dictitat,
&

& vires concedunt. Ex hisce quilibet concepturus eorum labores maximè damnosos esse, qui in statu morbi VSne peraguntur: sine iudicio sic administrata spirituum animalium vis intercipitur elastica, adeò ut imposterum vel planè succumbant vel non amplius justam expandendi vim habeant, hinc veneni vires magis ac magis serpunt, intimam sanguinis cohælionem & fluidorum ætherem pessundant, & hoc modo ob debilem resistantiam eventus morbi dubius imò funestus redditur. Nullos autem nostra peste decumbentes iterum sanitati restitutos annotavi, quibus peractis 12. horis VS. administrata, multos autem sanasse & evasisse expertus loquor, quorum sanguis ante 10. horarum curriculum detractus fuerit. Mora certè, si unquam, in febre pestilenti est periculosissima; sæpe enim contingit 24. horarum spatio Pestem omnia sua percurrere tempora: qua ex re in omni quidem arte dilatationem malam esse, at in medicinâ pessimam pronuntiavit Hippocrates: ex quo Mesue auxilia differri non debere monet, quia semel pereunti nihil postea prodest. Equidem dati medicorum VSnem dissuadentes, inter quos Sennertus, Hildanus & Plempius fuerunt, eorum autem sententiæ, uti fundamento innisæ fabuloso, ita quoque aliorum solidioribus planè corruerunt demonstrationibus: inter quos

quos præcelluit Hippocrates, qui libr. 6. Aphorism. 22. docet: quoscunque morbos ex repletionem fieri, hos curari evacuatione sanguinis. Huic consentiens Avicenna febrem inquit Pestilentem curari eventilatione sanguinis, quâ impedita istam fovet. Omnia demum à Viribus dependere dicit Herc. a Saxonia de Febr. c. 28. quæ si validæ fuerint, VSnis indicent necessitatem. Carolus Patinus Pestilentia, quatenus Pestilentia est, VSnem haud convenire, corporibus tamen Pestilentib⁹ summum esse frequenter remedium perhibet. Platerus in sua Prax. p. m. 155. svadet, æstimatis viribus Phlebotomia in febre pestilenti & malignas instituatur. Sydenham. p. 128. tract. de febris ita perhibet: dupliciter nimirum fieri curationem: scil. vel per sanguinis missionem vel per sudores: qui plurimum Authorum sententias pro VSne militantes subire cupit, adeat inter multos Etmüllerum, Waldschmidium, Dolæum, Baglivium & Hoffmannum, quin & Benedict. Sylvaticum, qui ita scribit: licet ergo sanguinem educere, imo juvat, cum corpus validum est, ætate florente, ac viribus constantibus, id postulante morbi magnitudine.

Priusquam in totum circa VS. doctrinam acquiescam, subnectere placet, quod Venarum sele-

selectio , nisi quædam insolita specifica symptomata complicata adsint, quæ specificè v. g. in Brachiis administrari requirunt, jam sit exauctorata; quin & bene annotandum sanguinem quorumvis febricitantium in febribus autumnalibus, præcipuè febre pestilenti, parcius esse educendum Vernalibus, neque multa medicam: refrigerantia exhibenda, nisi ægri in ipso ætatis vigore constituti, ut hanc sanguinis jacturam quodammodò ferre possint; fiat tamen cum grano salis & provida manu, ne famæ tuæ maculam affrices: denique advertendum erit, quod si specifica symptomata, v. g. Pleuritis, Peripneumonia, Hæmoptysis, asthma convulsivum, Peste decumbentes insimul corripiat, sine ulla mora pensiculatis cæteris circumstantiis VS. instituatur, quin etiam si Vires permittant reiteretur.

Quo jam Methodum Pestiscurationis describendi generalem prosequar, ad catarctica me verto, an ista in febribus malignis & præsertim Peste svaderi & adhiberi possint? Ut dicam quod res sit, apertè confiteor, illum Medicum omni conscientia & sanâ mentè esse privatum, qui & principio & statu, imò in declinatione istorum morborum catarctica svadet, certè æger febre maligna & Peste correptus hausto catarctico in præ-

An Catarctica
sint svadenda?

H

præ-

præsens vitæ protruditur discrimen, sæpèque e-
 òdem die fato cedit. Omnis quippè excretio
 principio morbi suscepta, ut symptomatica est,
 sic naturæ vires roburque frustra convellit.

Quod & Hippocratis præceptum est, dum
 à levioribus etiam purgantibus abstinendum es-
 se svadet. Et quemadmodum totus curationis
 cardo in eò vertitur, ut vires in morbis mali-
 gnis conserventur, sic eorum mentis caligo ma-
 ximè reprehendenda & prostituenda, qui pur-
 gantia tum recommendant. Proh! quanta te-
 meritate Chirurgi & Empyrici purgantibus in
 nostra nuperrima Peste per tot hominum mor-
 tes grassati sunt? Quod porrò à purgantibus ab-
 stinendum mihi consentiunt Joh. Fernel. Rio-
 lan. in methodo medendi c. 10. ne naturam ul-
 tra conturbet satis oppressam, quo revocatur
 Ludovic. Septalius Animadvers. L. 5. c. 50. o-
 mnes qui consilio Empyrici, hoc est purgante,
 in Peste usi fuissent ad unum interiisse. Pri-
 ma Medicamenti exhibitio sola, in medici est
 potestate, cætera fortunam sibi vindicant. I-
 gnis non oleo est pascendus, turbato sanguini
 catarcticis ulterior non est addenda turbatio.

An Vomitoria
 adhibenda? Multi medicorum fuerunt,
 qui vomitoriorum usum in mor-
 bi principio maligni indiscriminatim svaserunt:
 quorum asseclæ & hodierno tempore extant, i-

is

is autem in hoc conatu subscribere nefas esse duco : sanguis enim in suo motu & mixtione turbatus majorem adhuc subire mutationem subinde cogitur ; unde virium majus existit damnum , spiritus ad concitatiores rediguntur ataxiam, adeò ut cum funesto exitu ægris vomitoria ad spasmus semper tendentia , quorum systema nervosum jam jam à miasmate pestifero est enormiter infestatum nihilque minus quam causam morbi removementia præscribantur. Et quamvis miasma venenatum sæpius cum sputo seu saliva stomacho intruso humoribus , ut commentant , communicetur , volatile istud ut summum , aut pituitæ & lymphæ stomachali s. fermento gastrico stomacho hærenti involvitur , aut aliis humoribus in isto depravatis invertitur , hæere pituitæ & fermento gastrico s. iis commorari ut summum volatile , quod & ejus essentia & effectui planè contradicit , non potest , & si depravatis ventriculo in existentibus humoribus inverteretur , quos tamen ad ebullitionem cum summis præcordiorum anxietatibus ægrorum ciere augurarer , quare Vomitorio , quò virium jactura insigniter excitatur , turbatio sanguinis augetur , istud venenum inversum educatur ? nonne satius esset inversum & infractum venenum diaphoreticis fixis , adhuc magis figere , ut tandem aut per diuresin , aut diaphoresin cum euphoria ægri , non verò virium damno irreparabili exterminetur ? quin

H 2

potis

potius eo momento, quo cum saliva stomacho intrusum lymphæ spiritibus animalibus nervea substantia ventriculi nidulantibus (qui eos abesse negat, ille nihil minus quam Medici nomen unquam meretur) & sanguini quoque communicari, labemque venenatam suam momentaneo ictu sic humoribus affricare concipiendum est: hinc meridiana luce clarius, nullis vomitoriis in morbi principio maligni, cum primis Pestis & Pestilentia, multo minus in ejus statu miasma malignum est primis viis amoliri & removeri posse: quin magis, uti dictum, ista nimis effrenata exagitatione & evacuatione humores jam turbati ad majorem, ne dicam deterrimum excitentur orgasmum, crabrones in visceribus aliis stabulantes irritentur, extricentur, sanguini diathesin inducendo novam, magis eum turbat, sic igni ignem subducendo, totam destruunt machinam, hoc est, æger in funestum vitæ periculum detruditur, adeo enim est volatilis & tenuis essentia venenum pestiferum, ut præter insensibilem transpirationem, & sudoris profusionem omnem aliam arte factam evacuationem eludat. Et certe non fucato confiteri gestio animo, omnes Peste correptos à me observatos, quibus à Medicis, Chirurgis & Medicastris vomitoria in principio propinata, exspirasse, nullamque hausto vomitorio sanitatem recuperasse; unicum Exemplum ut exci-

excipiam Viduæ egestate simul oppressæ, quæ à medicaastro, hodie adhuc summo ægrorum cum damno vigente, vomitorium assumebat, quò capto summis præcordiorum anxietatibus in delirium subindeque linguæ Paralyfin, imò totius Paraplegiam incidebat, quâ adjuvante Deo tandem liberata, linguæ usum recepit, colli autem tremor continuat. Equidem demum non negem Sydenhamium aliosque Medicos Dogmaticos, Febribus continuis solitariis administrata VSne suasisse vomitorium. Verum enim verò si pensitemus, quod febres continuæ solitariae communes & febres malignæ populosæ, epidemicae maximè malignæ, ut febris Petechialis, febris sudatoria, febris pestilens, morbus Hungaricus, dysenteria epidemica, magnam inter se admittant differentiam, eorum sententiis palma facile præripitur & litigatio dirimitur: quandoquidem cum febres continuæ solitariae fermenta peregrina multò fixiora febribus insolitariis maximè malignis pro fomite agnoscunt, quæ cum saliva commista & saburræ hujus vel illius individui ventriculo congestæ, diutius impacta commorari valent, sicque pro circumstantiarum ratione in principio, viribus adhuc integris, quando ægri insimul de vomendi conatu inani, sapore amaricante, multis ructibus assurgentibus, dolore gravativo in superiori ventriculi orificio & cardialgia con-

H 3 queran-

querantur, lene vomitorium saburram cum fomite duntaxat eo delitescentem sub prima morbi invasione removendo, subsidiaque insimul morbi amoliendo svaderi licet, sit tamen dosi refracta, & maxime appropriatum. 2) duo cum faciunt idem, non est idem, adeo ut a particulari ad universale nulla valeat consequentia. 3) minima sic circumstantia in hisce totam variat rem, adeo ut inter centum, febribus continuis decumbentes, vix decem inveniuntur, quibus circumstantiis antea requisitis adhiberi licet.

De alvi constipatione

Quod si verò in quibusdam alvi adstrictio contingat, ubi sine dubio acidum terrestre seu austero acidum in intestinis sub morbi invasione hærens erit causa, quod membranas eorum constringit, facillimoque negotio accedente æstu insigni, quo humidum magis deperditur, excrementa sic indurari & remorari possunt, iis quarto die in Peste & Pestilentia suppositoria ex globulis Sacharinis oleo Amygd. dulc. bene circumvoluta applicari svadeo, & in febribus aliis malignis die octavo, hisce globulis alvus solvi solet. Ene mata in morbi principio & statu applicare maxime incongruum duco, de novo enim humoribus afferunt turbationem & vires insigniter conterunt.

Quod

Quod maximum curationis momentum, ut in omnibus febribus, excepta hecticâ, ita præsertim febribus malignis & Peste, tempestivâ diaphoresi consistat, neminem non concessurum confido.

De Alexipharmacis & diaphoreticis, quod ista in curatione sint maximi momenti

Appropriata inquam diaphoretica & Alexipharmaca sint, quæ tempestivè & oportune ægris Peste correptis propinentur: in distinguendo tempore & exploranda ægritemperie Peste decumbentis exquisitissima seduli ac prudentis Medici opera requiritur. De hisce consulamus Ld. Sept. l. 5. p. 147. qui ita inquit: Sudorum in vera Peste pestilentibusque etiam aliis febribus promotio, si naturâ duce suscepta fuerit, ut tuta est, & per placet, ita displicet omninò, cum natura prorsus deses, inersque nullatenus munere suo fungitur, videturque malo propè succumbere. Intempestiva enim & audax nimium est eorum curatio, qui miseros ægrotantes frustra fatigant, excitatis toto corpore sudoribus. Plerique medicorum sudoris accelerationem svadent, adeò ut quo citius diaphoresis instituat, salubrior esset: Me iudice si fieri liceat absque cunctatione & morbi initio diaphoresis, quantum individui vires aliæque permittunt circumstantiæ promoveatur, hac cautelâ quoque, ne nimis una vicè sudor eliciatur, alioquin jacturâ virium nulla vis resistendi mi-

H 4

asma-

asmati relinqueretur, sicque æger intereat sequitur: Quare annotari veli m, quod ægrotantes non nimis ad sudores cogendi nec superimpositis multis stragulis fatigandi sint: quin potius Medico incumbat, ut secundum ægrorum vires semper modò tempestivò alexipharmacis & diaphoreticis malignitatem à centro ad peripheriam blandè protrudat; hoc autem nihil minus quam fortioribus diaphoreticis efficere valet, aut enim nimis ebullitio est evecta aut ea torpet, quod iis contingere videmus, qui morbo attriti, vel quorum sanguis, spiritibus maximam est exutus partem, hinc quoque suæ despumationi longiorem postulet periodum. Si jam ebullitio, uti potissimum in Peste & Pestilentia experiri licet, nimis sit evecta, quid quæso nimis fortioribus diaphoreticis & volatilibus aliter efficies, quam ut humorum organum concilies concitatiorem, intestinus sanguinis motus in progressivum planè abit, hoc est, æquipondium inter sanguinis partium nisum & aëris mediæ naturæ in sanguine renisum ita sublatum, ut tandem totius sanguinis nexus ita turbetur, ut nullæ amplius adesse possint constantes fermentationes, hoc est, totus dissolubilis existit sanguis, Spir. anim. quoque copiâ privantur, suâ destituuntur elasticitate, ampliori sequestratione impediuntur, miasmata sic capessendo suas vires, naturæ palmam citius quam cogi-

cogi-

cogitasses præripientes, victoriam anteverunt; hinc peregrina istis saltem, quæ figendo & castigando, ut ætheris amici vires in sanguine accrescant, agunt, exterminentur: dum enim peregrina figentibus & Alexipharmacis amicum inducentibus ætherem, activitate privantur sua & in amici motum seu vorticem consentire coguntur, infracta tandem corpora & vi exuta suâ, sanguinis poris quâ data portâ extricantur & præcipitantur hoc est, heterogenea segregantur, tandemque ad emunctoria corporis motu naturæ sic primas tenente protrusa exterminantur: ex hoc fundamento fluit, quod omnia volatilia Plethoricis, Cholericis, & quibus organus humorum se manifestat in febribus malignis, præprimis Peste & Pestilentia planè sint exulenda: orgasmo enim magis evecto, volatilibus nihil minus quam venenum sanguine expellitur, quin potius iis proportionata miscela sanguinis partium aufertur: naturam certe licet expellere annitaris furcâ tamen hic usque recurret: Aut si fermentationes sanguinis nimis torpeant, quemadmodum sæpenumerò fieri consuevit, volatilibus & diaphoreticis fortioribus malignitatem in sanguine & spiritibus à centro ad peripheriam haud propellunt, quin potius Mensea frustra modò laceffitur & volatilibus concutitur, quò ipso turbatio augetur, & spiritus jam suppressi planè eò pacto sua spoliantur elastici.

lascitate, sic natura morbo succumbere cogitur. Blandè ergò isti ægri sunt tractandi, & Consilium, quod Sydenh. Observ. Med. Sect. V. cap. 2. p. 340. proponit arripiendum. Si sudor aut nullus aut ægrè eliciatur, uti mihi plus quam centies contigit, admoveantur insuper Plantis pedum calidi lateres, aut vesicæ suillæ aquâ calida repletæ inguinibus, axillisque apponantur, quod jucundo cum successu multoties institui.

Quod sub morbi initio blandè sudores sint eliciendi, prudenter G. Hieron. Welsch. Aug. in notis ad methodum Wallæi admonuit: ichores nimirum malignos inquit in febribus malignis prodeuntes statim ab initio morbi per sudorifera & bezoardica leniora educendos esse. Joh. Wolffgang Rabus in Epistola ad Johann. Merhard. allegante Gregor. Horstio ad alexipharmaca leniora & appropriata esse properanda statuit. Hinc Hildanus Lapid. bezoard. occid. cum aqua bened. in die ter vel quater ad Gr. XII. se propinasse scribit. Quemadmodum diaphoreticis fixis miasma infringitur & fixum redditur: Ita convenientibus alexipharmacis amicus familiaris æther sanguinalisque humoribus restituitur, quo fermentationes constantiores esse incipiant, quibus scilicet alexipharmacis repetitis auctis ætheris familiaris

aris

aris viribus pestiferum miasma victas dare cogitur manus. Nonnulli equidem medici dantur, qui ætherem nobis amicum in bezoardicis in dubium trahunt, imò eum planè abesse statuere audent; ast quì & qua ratione bezoardica sanguini constantiores fermentationes restituere possint, nisi æthere amico id tibi fieri persvadeas, per se pura terrea, imò & terrea fixa esse quis ignorat? quæ si ut pura alia terrea agnoscantur, non nisi vi absorbente vel incrassante prædita essent, à quibus tamen effectus nobilior contrarium ex quotidiana experientia apertè demonstrat: deinde quomodò quæso tot mille Phœnomenorum causas tam in Physicis, Physiologicis, Anatomicis, quam Chirurgicis, Pharmaceuticis, Chymicis, imò Pathologicis obviorum sine æthere explicare valeas.

Acida blanda non ita levem De Acidis
blandis.
cumprimis Sanguineis & Chole-
ricis tempestivè adhibita successum spondent; totidem iis, quasi frenulis, sanguis coërcetur ebulliens, hinc sensim ac sensim miasmatis vires tot ictibus jam inflictis decrescunt, hacque ratione alis concisis seu constrictis, ut avis eo citius & fatius convinci & expelli potest; quæ acida temperata, nunc cum sudoriferis & post sudorem vel potius madorem, propinanda, quia ægrum reficiunt, simulque malignitati resistunt:
quali-

qualia acida præ cæteris valent, ut sunt, mixt. simpl. Tinct. bezoard. Lips. Tinct. m. prophyl. Clyff. Antim. Sulphuratus, quem cum fructu sæpius præscripsi, Syrup. acetos. citri, succus citri recens expressus, Aqua prophylactica Sylvii, Spir. Nitri dulc. Acida talia Regius in suis observat. Medic. p. 379. svadet, ejusmodi Barbette cum sudoriferis in Peste adhibuit, & Sylvius, imò Waldschmidius, summo cum successu ea propinarunt, hinc Sylvii aqua Prophylactica est decantata. Quemadmodum ista recensita acida maximè ægrotantibus mense Julio, August. & Septemb. erant auxilio; Sic quoque testari possum certissimè, in succedentibus tribus mensibus, uti Octob. Novemb. & Decembr. non adeo tuta ista priori dosi fuisse adhibenda, quin potius magis refracta dosi & aquis bezoardicis diluta, cum alexipharmacis & uno vel duobus granis Camphoræ vel Salis vol. Succin. commista primò diè optimè valuisse: Sic bezoardicum minerale ritè præparatum mense Junii, Julii, Augusti, certis subjectis Peste correptis optimum præbebat levamen, sequentibus autem mensibus lucistâ decumbentibus vomitum & anxietates præcordiorum, sine ullo alio bono movebat successu.

De Vesicatoriis,
an ista sint applicanda?

Vesicatoria, multi medicorum sunt, qui svadent; inter eos Waldschmidius in Ephem. German.

man,

man. Cur. Dec. 1. anno 2. Observ. 114. cui Baglivius, Riverius, Septalius, Dolæus, Sydenhamius & Petrus a Castro adstipulantur. Quando maximè malignitas sæviit, deliria nimirum si ægrotos cruciarint, & venenum ex certis signis Principatum obtinuerit, vesicatorium cum successu svaderi potest; spiritus enim animales, ut in deliriis aliorum eò avocantur, & qui suppressi & languentes stimulum accipiunt, adeò ut iterum vim suam exercere elasticam valeant. Qui autem sine discrimine vesicatoriorum usum in hoc morbo epidemico imperarunt, iis suffragari meritò hæreo, quin magis contradicere gestio. Sal nimirum volatile causticum sanguinem jam ebullientem ulterius accendit, & spiritus magis ferociunt, hinc ægrotantibus multis a Chirurgis præposterè applicatis vesicatoriis lumborum dolorem atrocissimum, capitis dolorem maximè intensum, mictum cruentum, imo convulsiones epilepticas extitisse, quibus subsequutam sæpenumerò mortem annotavi.

In nostro morbo Epidemico Pestilenti ad præservandum fonticuli, de quibus nonnulli medicorum insignem promissere fructum, nullius fuere momenti. Ulcera uti solummodo sunt artificialia, ita nihil minus fluidorum quam diathe-

An fonticuli
sint institu-
endi?

athe-

athesin corrigendam, & virus pestiferum illapsum eliciendum, istudque abigendum paria censerit possunt, quod & Hochstätter refert suo tempore: Nec Scabies, nec ulcera antiqua, nec fonticuli à Peste præservârunt. Et quos ulcera antiqua Pestê correptos per multos annos afflixerunt, istos aut fuisse summo vitæ periculo nostro tempore epidemico aut supremum obiisse diem, uti annotata tradere sustineo. Quidam, uti Diemberbrockius cauteria rotunda substituerunt, quæ in Peste Noviomagensi benè cesserunt, si brachiis tribus digitis supra carpum, vel interiori crurum supra malleolum parti applicentur.

Quotiescunque ad ægros Peste decumbentes accersitus, primo sic accessu, nisi tempus præterfluxerit, cæteris paribus VSnem administrari curavi, quâ institutâ, omnibus ritè exploratis circumstantiis seqv. pulv. in Unc. iß. Aqv. Scorz. comp. cum successu superexpectando madorem bono propinari curavi, sic v. g.

Rec. Pulv. bezoard. Londin. in globul. gr. xii.

Antim. diaphor. rec.

Unicorn. marin. ver.

Specific. cephal. D. M. aa. gr. VI.

Nitr. Antimoniat. gr. iij.

M. F. pulv.

Qui-

Quibus fermentationes humorum nonnihil torpebant iis seqv. pulv. aut seqv. mixt. præscripsi v. g.

Rec. pulv. bezoard. Sennert. c. gr. xiv.
 Off. Cord. Cerv. ppt.
 Specier. de Hyacinth. àa. gr. viii.
 M. F. pulv.

aut

Rec. Aqu. è typh. C. C.
 Cerasor. nigror. c. nucl. àa. ℥j.
 Cordial. temper. ℥ß.
 Pulv. Pannon. rubr. ℥j.
 Specier. de hyacinth. c. ℥ß.
 Syrup. granat. ℥iß.
 M. Det. ad Vitr.

Hiscè tepidè haustis & madore elicito, præterlapsis sic IV. horis priora iterum propinabantur, & potum Thèe ferventem vel decoctum ex Radice Scorzon. Herb. Petasitid. & Rasur. C. C. præparatum larga dosi, donec sudor levis iterum propullularet superpotare imperavi. Sequenti die nimirum secundo omni bihorio mixtur. cordial. seqv. vel aliam pro re nata præscripsi v. g.

Rec. Aqu. è typh. C. C.
 Citr. rot. àa. ℥iij.
 Fl. acac. ℥j.
 Scorzon comp. ℥ß.
 Pulv. bezoard. Senn. c. ℥ß.

Una

Unicorn. marin. v. ℥j.

Tinct. bezoard. Lips. ℥j.

M. D. ad Vit.

â qua mixtura Cochl. II. vel tria distinctis ho-
ristepidè propinabantur. vel

Rec. Aqua C. Bened. ℥iij.

è succ. rub. id. ℥ij.

Prophyl. Sylv. ℥ß.

Pulv. pannon. rubr. ℥ß.

bezoard. Senert.

Off. cord. cerv. ppt. aa. ℥j.

M. Det. ad Vit.

Quibus fluida nonnihil torperent, cum præ-
scriptis mixturis Tinct. m. prophyl. & specier.
de hyacinth. c. commisceri ordinavi; Omni
hora quartâ diei tertii seqv. pulver. cum suc-
cessu præscripti optimo, v. g.

Rec. Pulv. bezoard. Anglic. in globul. gr. xv.

Antimon. diaphor. rec. gr. viii.

Cinnab. Antimon. opt. ppt. gr. vi.

Nitr. perlat. gr. iij.

M. F. pulv.

Quibus humorum orgasmus nimis excessivus
ex pulsu aliisque circumstantiis annotabatur, iis
seqv. pulv. quem omni trihorio propinari jussi,
cum successu præscripti v. g.

Rec. Pulv. pannon. rubr. gr. xviii.

Antim. diaphor. r. gr. vii.

Nitr. perlat. gr. iij.

M. F. pulv.

Ali-

Aliam mixtur. prout circumstantiæ ferebant,
quâvis horâ cochl. duotepidè propinari cura-
vi, præscripsi v. g.

Rec. Aqv. è typh. C. C. ℥iij.

Ceras. nigror c. nucl. ℥j.

Scorzon. comp. ℥iβ.

Pulv. bezoard. Senn. ℥j.

Matr. perlar. ppt. ℥j.

Specif. Cephal. D. M. gr. xvi.

Tinct. prophyl. m. d. ℥β.

M. D. ad Vitr.

Assumptis his recensitis eò ordinè , quò præ-
scripsi sing. quadrante horâ peractâ potum Thée
ferventem vel Decoctum calidum antea rela-
tum ad blandam madoris eliminationem ca-
pere curavi. Quod si hisce nulla exanthe-
matum secundo vel tertio die eruptio observari li-
cuerit, Tinct. Prophyl. m. d. ℥j. cum Aqv. Scor-
dii ℥ij. vel Rec. Pulv. bezoard. Angl. in globul.
Pannon. rubr. Antimon. diaphor. rec. aa. gr.
viii. Cinnab. Antim. opt. ppt. gr. vi. M. F.
pulv. aut Pulver. ex Pulv. bezoard. Senn. c. gr. xvi.
Specier. diahyacinth. ℥β. Specif. Cephal. D. M.
gr. viii. Camphor. gr. i. aut ex Lapid. bezoard.
orient. Antim. diaphor. rec. Off. Cord. Cerv.
ppt. aa. gr. xiv. Nitr. Antimoniat. gr. iij. prout
circumstantiæ indicabant , omni bihorio ab
hora octava antepomeridiana tertii diei ad ho-
ram sextam vespertinam vehiculo tepido pro-
pina-

pinabantur, quibus semper Decoctum fervens
 larga portione, quo non solum alexipharmaca
 eo citius distribui possint, quin etiam ejus calo-
 re heterogenea eliminarentur & insimula quo-
 sis partibus salia corrosiva diluerentur, supra
 bibatur: hisce uti potissimum cum euphoria æ-
 grorum subsequuta exanthematum eruptio: ita
 & post eorum evocationem & aspectum omni
 hora sexta Pulv. ex pulv. bezoard. Senn. gr. xv.
 Matr. perlar. ppt. & UniCorn: marin. aa. gr.
 vi. Nitr. Antimoniat. gr. iij. & pro circumstan-
 tiarum ratione omni trihorio Mixturæ sequent.
 vel alterius prout apparentiæ & certa individui
 temperies indicabant, Cochlear. duo vel
 tria tepidè expectando lenem quandoque
 madorem usque ad diem sextam assumi curavi:
 Mixturæ erant seqv. v. g.

Rec. Aqu. Scord.

C. Bened. à ℥iij.

Prophyl. Sylv. ℥ß.

Cord. Hercul. Sax. ℥vi.

Pulv. pannon. rubr.

è chel. Cancror. comp. aa. ℥j

bezoard. miner. ritè ppt. gr. xv.

M. D. ad Vitr.

vel

Rec. Aqu. è typh. C. C. ℥iiij.

Scorzon. comp. ℥iß.

analept. Ruland. ℥ß.

Pulv. bezoard. Senn. ℥j

ss.

Off. Cord. Cerv. ppt. ℥℥.

Spir. diatrion. ℥j.

Misc. D. ad Vittr.

vel

Rec. Aqv. C. Bened.

Scord. aa. ℥iiij.

Scorzon. comp. ℥i℥.

Pulv. è chel. Cancror. comp. ℥℥.

Matr. perl. ppt.

Specific. Cephal. D. M. aa. gr. xvi.

Nitr. perlat. ℥℥.

M. ad Vittr.

Hisce & aliis uti generali methodo antea-
que recensitis tamdiu continuavi, donec spes
sanitatis affulserit. Quod si autem hisce Ale-
xipharmacis & diaphoreticis hac medendi me-
thodò præscriptis ægri nullum acciperent leva-
men & eorum & Medici negotium certè in an-
gusto versabatur. Quibus ebullitio nimis e-
rat evecta, iis bis vel ter in die singulari cum
fructu Antihect. Poterii rite ppt. ℥℥. cum pulv.
pannon. rubr. ℥j. mist. ad volatile venena-
tum figendum fervoremque consopendum
propinari curavi, vel mixtur. simpl. ℥℥ cum
Aqv. Scorz. comp. bono successu iis propina-
vi. Quibus autem Orgasmus humorum non a-
deò erat excessivus, quin potius nimis languis-
se insimul spirit. animales si annotarem, leni-
ora cardiaca aquosa formâ mixturæ cum spe-

cieb. dia-Hyacinth. lapid. bezoard. orient. quandoque occident. & Syrup. Granat. vel Syrup. acetos. Citr. cum optimo præscripti effectu. Pauperibus acetum bezoard. Tinct. bez. Lips. Mixt. Simpl. Antim. diaph. bol. armen. vel terr. sigill. Corall. rubr. ppt. cum bono dedi successu. Mense Octobr. Novembr. & Decembr. Peste correpti plerique dolores vagos, Arthriticis similes per totum corpus atrocissimos senserunt hinc antispasmodica, ut specif. Cephal. D. M. vel Pulv. Epilept. Ludov. vel Ciñab. nativ. vel Antimon. largiori dosi alexipharmacis mixt. cum ægrorum euphoria istis adhibui: Præ omnibus Medicus nervos intendat, ut prudentiâ sua medicamina secundum ægrorum temperiem vitamque, quoad fieri licet, antea actam, ætatis, & sexus discrimen dirigat, & tempestivè ea benè præcogitata methodò instituat, alioquin omnem operam frustraneam moliri augurari licet. Multi & præservandi & conservandi gratia balsam. Sulphur. singulari præparatum modò, alii cum pulv. bezoard. Anglican. Ꝟ. Sal. volatilis viperar. grij. Peste decumbentibus adhibuerunt.

De symptomatis
specialioribus.

Quod denique medicamina specialia s. specifica attinet, ista secundum symptomatum complicatorum variationem ægrorumque temperiem præ-

præscribenda doceo. Sic quibus Cardialgia cum inani vomendi conatu observabatur, antimon. diaphor. Martial. pulv. bezoard. Senn. aa. ꝯ. Specif. Ceph. D. M. gr. viii. Theriac. cœlest. gr. j. l. ij. insimul mista cum Aqua Theriac. simpl. & Scorzon. c. aa. ꝯj adhibui.

Et Hystericis singulari fructu & egregio levamine Antimon. diaphor. Martial. gr. xvi. Off. Cord. Cerv. ppt. UniCorn. marin. v. aa. gr. v. Cinnab. nativ. opt. depur. gr. iv. in pulv. mista cum aqv. Lilior. convall. f. & Theriac. simpl. aa. ꝯ. reiteratô modô propinavi, quibus potum Thée fervidum ad madoris profusionem commendavi. Quos Colica convulsiva affligebat, mixtur. ex Aqv. Lilior. convall. f. ꝯij. Scorzon. c. ꝯj. Chamom. rom. f. ꝯ. pulv. è chel. Cancer. comp. ꝯ. Cinnab. Antimon. opt. ppt. gr. viii. pulv. anodyn. Ludov. gr. iij. vel Theriac. cœlest. gr. ij, superpotando Thée potum fervidum vel Decoctum optimè calidum ad sudoris profusionem lenem, cum bono eventu propinari curavi.

Quos deliria summis inquietudinibus cruciabant, pro circumstantiarum ratione pulv. bezoard. Senn. specier. diamargar. frigid. à ꝯ. specific. Cephal. D. Riedl. gr. viii, Nitr. perlat. gr. iij. pulv. anodyn. Ludov. gr. ij, seu pulv.

annon. rubr. ꝑ. camphor. gr. ij. Nitr. depur. gr. v. mista convenienti vehiculo circa noctem cum euphoria multorum ægrorum propinari curavi: Multis quoque pulver. bezoard. Senn. ꝑ. specif. Ceph. D. M. gr. iv. arcan. duplicat: gr. viii. mista cum successu præscripsi. Qui diarrhæâ foetidâ & dysenteriâ malignâ insimul afflicti, iis terrea cum diaphoreticis & anodynis mista præscripsi: Sic pulv. annon. rubr. bezoard. Senn. àa gr. viii. Antimon. diaphor. r. gr. vi. terr. sigill. gr. iv. Magist. anodyn. gr. j. M. F. pulv. d. in decuplo, à quibus omni sexta horâ una dosis propinabatur, lenisque mador eliciebatur, supercapiabant semper Decocti Priapi Ceti largam dosin calidi, cum quo Gelatin. C. C. erat quandoque mista, quandoque Decoct. Radic. Scorzon. cum antea dicto decocto commisceri & adhiberi fervidè curavi.

Oleum N. M. express. cum pulver. annon. & Theriac. cœlest. commistum insigne afferebat levamen: benè annotandum, quod sine diaphoresi nulla dysenteria pestifera curari possit; hinc medico incumbit, ut dysentericis sudor benè eliciatur, & anodynis & Cinna-
barinis intestinorum spasmus mitigetur. Enemata quoque ex lacte Chalybeat. Thereb. venet. vitel. Ovi solut. balsam. peruv. & Theriac. Androm. sub morbi fine applicari curavi: Se-
dato

datō nonnihil fluxu istō cruentō, balsamica & vulneraria in Decocto vulnerario adhiberi iussi. Sic balsam. Italic. & singulare balsam. ex Thereb. ven. balsam. peruv. sperm. Cet. albiss. sanguin. dracon. bolo arm. & oleo Amygd. dulc. recentiss. expressio præparari imperavi, quo multorum dysentericorum & Hæmoptoicorum fluxum cruentum sedatum fuisse lætus animadverti.

Quibus Pests principio Pleuritis superveniebat, pro circumstantiarum ratione, si res pateretur, liberaliter sanguinem e brachio emitti iussi, si tussis ferina, uti semper fieri consuevit, eos insimul vexaret, oleum Amygd. dulc. rec. express. cum spermat. Cet alb. & Syrup. papav. Rhead. quibus sæpius lingebant, præscripsi, & interdistingtis horis diaphor. ex Antim. diaphor. pulv. bezoard. Senn. dent. Apri ppt. sangv. hircin. Cinnab. nativ. & pulv. anodyn. Ludov. superexpectando madorem optimo cum successu propinavi: diaphoreticis semper adjuungebant fervens Decoct. ex Radic: Scorzon. Herb. Alth. Petasitid. liquir. flor. papav. Herb. hyssop. & Ras. C. C. larga portione usque ad madoris eliminationem, quo materia acris heterogenea à sanguine Pleuræ poris constantibus opposita partim calore decocti, partim diaphoreticis & antispasmodicis extricari possit, simulque aquosarum particularum copiâ diluatur.

Quibus Hæmorrhagia à principio superveniebat, medicamenta sanguini ebullienti frenum imponentia, orgasmumque supprimentia adhibebantur, quæ constabant ex Cryst. mont. ppt. Test. ovar. calcin. Corall. rubr. ppt. aa. gr. viii. terr. sigil. gr. iij. Nitr. depur. gr. v. pulv. anodyn. Ludov. gr. ij, & in aqv. portulac. Plantag. Prophyl. Sylv. iis reiteratò modo porrigebantur. Aliis quoque quorum sanguis acrimoniæ copiâ refertus, emulsiones optimo svasi cum successu.

Sopori plurimos obrepenti me opponebam externè naribus & fronti & temporibus applicito aceto castoreaceo vel Sale vol. à Sal. Armoniac. cum pauc. gutt. olei Ruta vel castorei, internis autem lenioribus cardiacis & alexipharmacis antea jam enarratis; nullo modo iste est tolerandus, summum spirituum defectum eorumque elasticitatem maximè esse suppressam arguit.

Multis animi deliquio ob summum virium languorem afflictis, in principio & statu analeptis & antispasmodicis ex Aqv. Analept. Rul. Scorzon. comp. Ceras. nigror. cum nucl. pulv. bezoard. Sennert. pulv. Epilept. Ludov. specieb. diahyacinth. & Syrup. granat. felicissimè occurreba, in externè naribus & fronti applica-

plieari curavi acetum Lil. convall. affusum & acetum bezoardicum aff. foetid. junctum.

Ad sitim extinguendam excessivam, potum Thee calidum vel Decoct. antea nominatum, cum gt. paucis spir. Nitr. dulc. acidulatum bono svasi successu.

Accedo denique ab **Bu-** De Curatione bu-
bonum & Carbunculorum cu- bonum & car-
rationem, quos nimirum bu- bunculorum
 bones à primâ eruptione ad suppurationem diaphoreticorum regimine sum infectatus. Neque Cucurbitam cum flamma, neque Cantharides, ranunculum acrem, neque emplastrum magneticum iis applicari jussi, sed cum diaphoreticorum & Alexipharmacorum regiminè eò devenisse putamus, ut boni moris esse videantur, maturationem eorum emollientibus & nonnullis antidotis promovere annisus. Ex quorum numero Electuarium meum cujus ingredientia melle erant excepta, aut cataplasmata ex Radic. Alth. Lil. alb. Flor. chamom. rom. farin. foenugr. semin. lini & ficubus, quibus cum aqua vel lacte excoctis & ad consistent. redactis parva croci dosis addita, aut ex Rad. Scabios. bulb. lil. alb. rad. Valerian. ad mollitiem, aut coëpis sub cineribus coctis, quibus contusis ovorum vitel. ac tandem oleum
 I 5. lil.

lil. alb. ad cataplasmatibus consistentiam superad-
 ditum placuerunt: quæ sic bubonibus applici-
 ta maturasse eos feliciter sanctè testari valeo.
 Multis pastam ex fermento panificio cum pau-
 câ mellis, Theriacæ, & croci quantitate præ-
 paratam, & bono applicitam fuisse eventu an-
 notavi. Alii Empl. diachyl. s. vel c. cum gal-
 bano & Ammon. instar emplastri commista
 bubonibus apposuerunt. Alii ex Rad. Alth.
 Lil. alb. aa. ℥ss. farin. foenugr. semin. Lin. flor.
 Chamom. aa. ℥j Fic. Numer. vi. fol. dictamn.
 ℥vii. Radic. Phu ℥ij, semin. sinapi ℥i℥. ol. Cha-
 mæm. & lil. alb. aa. ℥iiij massam præpararunt &
 cum fructu applicarunt. Alii Radicem Sca-
 bios. cum. Cynogloss. frequenter adhibuerunt
 iisque mederi confessi, hinc quoque Scabiosa
 viribus curatrix bubonum Gallis chassebosse
 cognominata est. Cavenda est bubonis a-
 pertio ante suppurationem & perfectum
 πειρασμῶν ne Scirrhum relinquat, inquit Min-
 dererus, allaborandum quoque, ut sanies ulla si-
 ne mora paulatim emittatur. Multorum hinc
 bubones in ulcus magnum depascens Chirur-
 gorum inscitia & negligentia, imo & gangræ-
 nam abiisse sedulo annotavi. Sic Matrona 46.
 annorum vigesimo die morbi pura inscitia
 & imperitia Chirurgi, bubonis ante matura-
 tionem aperti maleque mundificati inque gan-
 grænam degenerantis jugulata est. Quod si
 visu, tactu & ratione bubonis pus satis matu-
 ru-

ru-

ruiſſe cognoſcitur, nihil vetat vomicam iſtam ſcalpello vel lanceola aperire. Aliquando autem ſuperpoſitis cœpis, & paſtâ antea deſcripta Pus ſpontè promptèque eſt egreſſum; non obſtante quod nonnullorum medicorum prohibitione nunquam exſpectandum ſit, ut natura ipſa per ſe vomicam aperiat. Educto pure bubo tandem mundificandus eſt bals. Sulph. Ungv. baſilicon: ſucc. plantag. melle, Thereb. ven. & aloë, ſic multis egregio eventu tam mundificandiquam conſolidandi gratiâ præſcripſi. Ungv. ex Mel. ros. ℥ij. bals. peruv. ℥ß. bals. Sulphur. ꝥj. Marg. ſaxat. ℥j. Croc. gr. xv. Alii bubonibus bufones viventes uti dicunt, bono appoſuerunt ſucceſſu.

Sic Aulicus nobilis uni ſuorum ruſticorum in Peſte correpto bubonibus duobus utrique unum applicuit bufonem viventem, qui educendo & exſugendo virus venenatum ex bubonibus ſe ipſos paulò poſt decidendo enecarunt, ſalvo ſuperſtite ruſtico; alii quoque ad eos mundificandos bono cum ſucceſſu Aqv. virid. Hartmanni adhibuerunt.

Carbunculi paulò aliter medela ſit, eos quam primum fieri licuit, circulo ducto butyró antimonii à chirurgo feſtinanter ſeparari imperavi, vel ſcarificari curavi, ſic cum exciderunt

derunt carbunculi, cavernam ab iis relictam mundificantibus benè prospexit, & consolidantibus adjuvante bono appposito succo nutritio consolidavit, hinc victum tenuem ex *εὐπεπτις* carbunculo exciso iis commendavi, quibus vires refarciri & succus nutritius præparari possint.

Victum tenuem ad diem decimum quintum ex jusculis avenaceis & hordeaceis, quibus aliquando pro re nata Cochli. semis proportionatè Syrup. granat. vel Syrup. acetos. Citr. vel succ. citri rec. expressi infundi curavi; à die decimo quinto ad diem vigesimum primum juscula pinguiscula ex carne caponum, vitulorum cum carne assata & cerevisia tenui svasi: die vigesimo sext. lene laxans ex Decoct. Laxat. Vien. aut ex Tartar. solub. ℥β. & gr. j. vel. ij. Resin. jalapp. præscripsi, & deinceps cibos boni succi cerevisiam benè defœcatam, quæ autem hujus loci admodum est rara & bonum vini generosi haustum concedi & commendavi.

Quod demum evacuationes attinet criticas, eas accuratè attendere incumbit Medico, percontari inclinantis naturæ cursum, quo crisis perficitur, cordi sit sagaci Medico. Ut enim omnis ejus motus vel symptomatici vel critici, hos juvare maximè intendat medicus, illis vero se opponere: *τὸ φυᾶ κρατίζον ἀπαν*, quod

à natura optimum est. Sudores in acutis mor-
bis die critico supervenientes universales & ca-
lidos salutare esse docuerunt veteres medici, at
in hoc rapido & præcipiti morbo, antevvertenda
venit expectatio sudorque prius provocandus.
Certè si Medicus naturæ motus, quo vergunt de-
spumatione heterogeneorum à centro ad peri-
pheriam instante, in acutis, non sollicitius in-
quirat, distinguat, attendat & contempletur, &
falletur, & ægrotum fallet, hinc omnes medi-
cos adhortari volo, esse in observandis naturæ
motibus sagaces, circumspectos, imo ne horam
sine linea instante crisi præterlabi, concedere,
hoc est, circa istud tempus esse sedulos, perspica-
ces & cordatos. Etenim si v. gr. hoc vel illo in-
dividuo, cujus sanguinis fermentationes non-
nihil torperent, Spir. animalium elasticitas sit
suppressa, tempore autem criseos adjuvantibus
medicaminibus, naturæ labefactatæ occurrenti-
bus, istius motus ad Crisin tamen inclinant,
Medicusque autem aut imperitia, aut neglectu
hoc opus non observet, crisis incipiens iterum
subsistit, heterogenea sic natura victrice expu-
gnata, ansam retractis ejus adminiculis accipit,
priora iterum petere, tumultus concitare no-
vos, quibus attrita & labefactata natura sic
resistendi impar, succumbere cogitur, hoc est,
æger medici imperitia deturbatus ad plures in
locum communissimum abire cogitur.

Deo

Deo Triuno optimo & maximo vitæ ne-
 cisque Arbitro, uti Enti ineffabili, sit Laus & Glo-
 ria in æternum, quod me inter tot mille ægro-
 tantes, inter tot funera Pestis conclamata, &
 inter tot pallida plagâ emortuos corpore non
 adeò firmum, salvum, incolumem & sanum
 conservavit, viresque mihi suppeditavit, ut mul-
 tos & Peste enormiter decumbentes & in Xe-
 nodochiis Publicis Regiis multos mille ægro-
 tantes, Scorbuto nautico, aliis morbis chroni-
 cis pertinacibus & acutis afflictos sublevarem,
 orcique faucibus ereptos Regi Clementissimo
 sanos redderem, hocque opusculum, in quo Pe-
 stis & Pestil. indoles earumque apparentiæ &
 medendi rationes, sanis principiis experienciâ-
 que propriâ vera superstructæ, divulgare publi-
 cique juris facerem. Quod institutum ut Vi-
 ris bonis & Doctis, imo & æquis rerum æsti-
 matoribus probetur nihil vereor: Pravos autem
 & bonorum obtrectatores nihil moror: sed iis
 unicum illud reponendum censeo ex Diogene,
 carpet citius aliquis quam ita imbitur. Sustulit
 Deus, mitissimus Pater, Pestem, desinant mali
 esse Pestis, ne hanc quoque Pestem pessimam
 Judex severissimus cogatur exterminare.

F I N I S.

ERRA-

ERRATA

Sequentia & si præter hæc alia adhuc occurrent, Amicus Lector benevolè corrigere obnixè rogatur.

Pagina 4, lin. 24. pro erupuisse, lege erupisse. p. 5. l. 5. pro diffluerunt, lege diffluxerunt. p. 5. l. 25. pro Septembris, Octobris, lege Septembri, Octobri. p. 8. l. 24. pro invalescant, lege invalescunt. p. 9. l. 17. peracutis lege peracutos. p. 9. l. 22. exquisite acutis lege sub exquisite acutis. p. 11. l. 2. pro sufflaminata, lege sufflaminatæ. p. 11. l. 9. pro continentibus lege contentis. p. 11. l. 18. pro exferit lege exferat. p. 11. l. 21. pro nititur lege nitatur. p. 13. l. 3. dele decrefcere ac pro & minori lege cõ minori. p. 13. l. 8. pro incunatis lege incuneatis. p. 15. l. 10. pro luctus lege luctam. p. 15. ibid. pro renifus lege renifum. p. 15. l. 13. post fluidorum deleatur eõ magis. p. 16. l. 8. pro clariculos lege claviculos. p. 16. l. 9. pro adhæreant, lege adhærent. p. 17. l. 20. pro dissolubilior lege magis dissolutus. p. 18. l. 10. dele obducta. p. 18. l. 17. & præservandi lege tam præservandi. p. 20. l. 11. pro expandive lege expandendive. p. 22. l. 2. pro ab lege autem. p. 22. l. 27. pro præsentiam lege præsentia. p. 25. l. 26. pro incolæ diarrhæa lege incolæ de diarrhæa. p. 26. l. 12. pro infestat lege infestant. p. 26. l. 23. pro quoscumlibet lege quorumlibet. p. 27. l. 19. pro stragibus Polonia lege stragibus in Polonia. p. 30. l. ultim. pro spargete, lege spargere. p. 34. l. 26. pro abortas esse lege abortiisse. p. 40. l. 11. pro axare lege laxare. p. 41. l. 27. pro incumbat, lege incumbit. p. 42. l. 23. pro hinc fiat, lege hinc fit. p. 44. l. 1. pro Holfatia lege in Holfatia. p. 46. l. ultima pro licet lege licere. p. 48. l. 19. post oppressus adde, usus erat. p. 49. l. 1. pro visitarem lege visitaram. p. 49. l. 18. pro ut ut lege ut. p. 49. l. 23. pro statu lege in statu. p. 50. l. 20. pro fine lege in fine. p. 52. l. 17. pro quo si lege quod si. p. 53. l. 9. pro prodidit lege prodidisse. p. 56. l. 9. pro erretita lege irretita. p. 59. l. 11. pro pifis lege pifa. p. 59. l. 13. post cocta dele alia. p. 61. l. 7. & 8. mistæ seu constitutæ lege mista & constituta. p. 64. l. 10.

l. 10. pro vixit lege vivit. p. 70. l. 12. pro intensior lege inten-
sus. p. 75. l. 6. pro ambulat lege ambulat. p. 75. l. 7. pro de-
pascit lege depascunt. p. 96. l. 20. pro attinent lege attinet.
p. 102. l. 16. pro primi lege primo. p. 103. l. ultim. pro visitari
lege visitaturi. p. 106. l. 25. pro dissolubiliorem lege dissolu-
bilem. p. 107. l. 5. pro usu lege usi. p. 109. l. 7. pro quod le-
ge quò. p. 112. l. 15. pro malignas lege maligna. p. 115. l. 12
pro intruso lege intrusum. p. 116. l. 7. pro affricare lege affrica-
ri. p. 120. l. 14. pro postulet lege postulat. p. 120. l. 17. pro
nimis fortioribus lege fortioribus. p. 124. l. 16. pro adhibenda
lege adhibita. p. 127. l. ultim. pro pulv, Bez, Sennert 3ß.
substituit 3ß.









